Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Marcus Anton Plenciz von

Marci Antonii Plenciz, Medici Vindobonensis, Opera Medico Physica, In Quatuor Tractatus digesta ...

Tractatus III. : De Scarlatina

Vindobonae: Trattner, 1762

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741

Band (Druck) Freier Zugang

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0001
DFG

St

1R 281

Ma_3687.

(1.2.3.4.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn823221741/phys_0002
DFG

Aufs in Md.

Md. Variol.

Md Scarlat.

Mh. lues bovina

Nc. morbi vegetabil.

Ne. Geologia

aufgehoben.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0003
DFG

TRACTATUS III
DE
SCARLATINA
AUTORE
MARCO ANTONIO
PLENCIZ,
MEDICO VINDOBONENSI



VIENNÆ AUSTRIÆ,
TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAR. REG.
APOST. MAJEST. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.
MDCCLXII.

Ma — 3687. 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn823221741/phys_0006
DFG

PRÆFATIO AUTORIS

AD

TRACTATUM DE SCARLATINA.

Inter morbos contagiosos, qui humanum genus affligere sæpe consueverunt, princeps est affectus quem scarlatinam nominamus.

Medici enim practici norunt, quanta sævitia in juventutem furere, quanta celeritate integras, celebresque familias delere, & exhaurire soleat; ut unico hoc ex titulo pestis juventutis merito vocari debeat.

Quapropter mirabar, quod morbus tam truculentus, humanoque generi tam infensus hucusque tum quoad ejus principium, progressum, decursum, finem, ejusque consectaria, cum quoad curationem, tam

parum tam mance descriptus inveniatur.

Qua ex ratione a viginti & pluribus jam annis sedulo, serioque omnia, quæ in, & post hunc morbum memorabilia obvenire, quæ prodesse & obesse soleant, mihi annotavi, quæ nunc publici juris facio.

Unde habes hic, benevole Lector, genuinam & ex lecto hauſtam historiam hujus sæpe funesti morbi, habes ejusdem progressum, decursum, aliaque scarlatinæ consectaria; denique omnia, quæ tam ejus æthiologiam, quam pathologiam concernunt, tibi candide communicare conabor, quibus fruere, & vale.

ELEN-

ELENCHUS SECTIONUM
QUÆ IN TRACTATU DE SCARLATINA CONTINENTUR.

SECTIO I

Exponit diversas Medicorum de scarlatina relationes, & descriptiones.

SECTIO II

Proponit propriam de scarlatina descriptionem.

SECTIO III

Subjungit scarlatinæ differentias, & Diagnosim.

SECTIO IV

Rimatur scarlatinæ veras, aut saltem verosimiliores causas.

SECTIO V

Declarat symptomata, uti & sedem scarlatinæ.

SECTIO

SECTIO VI

Subjectum & prognosim scarlatinæ exponit.

SECTIO VII

Scarlatinæ ejusque symptomatum curationem proponit.

SECTIO VIII

Scarlatinæ stadium, seu periodum secundam una cum curatione explanat.

SECTIO IX ET ULT.

Quasdam singulares de scarlatina observationes una cum adjectis annotationibus communicat.

TRA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0010
DFG

TRACTATUS III.
DE
SCARLATINA.

SECTIO I.

EXHIBET SCARLATINÆ HISTORIAM, ET DESCRIPTIONEM MEIS OBSERVATIONIBUS RESPONDENTEM.

I.

An Scarlatina veteribus nota fuerit, nec ne, videtur eadem & ejusdem farinæ esse quæstio, quam superius §. V. de variolis proposueram. Hæc enim ali-

quid ad eruditionem, sed ne hilum quidem ad ægrorum commodum facere, & contribuere videtur. Unde etiam similia missa facio, neque his perquirendis diu immorabor; satis enim reor, si meminerim, veteres medicos multa de maculis, papulis & pustulis dixisse, adeoque plures exanthematum species exinde intellexisse; qua vero ratione id fecerint, aliis discutiendum relinquo.

Quo tempore vero grassari cœperit, aut potius quo tempore primo scarlatina observata fuerit, dein patebit, dum Autores de Scarlatina tractantes adduxero.

II.

Hic propositi ratio exigit, vt ante omnia historiam, progressum, decursum Scarlatinæ, ejusque consectaria, quam accuratissime, & quam brevissime exponam, talemque exhibeam notitiam, qualem non ex libris, aut proprio ex cerebro,

bro, sed ex ægris ad lectum hausi, collegi, & annotavi.

Quare fiet, vt symptomata omnia, aut saltem præcipua, quæ non tantum qualibet morbi die, sed quæ fere qualibet hora observavi, debito ordine afferam, & recensеam; ex quibus spero fore, ut quisque historiæ morborum peritus, facile cognoscat & candide fateatur in scarlatina tum quoad æthiologiam, cum quoad ejusdem curationem ad hæc usque tempora quam plurimum desiderari.

Quapropter satis mirari non valeo, quod morbus, qui multarum illustrium familiarum progeniem funditus sæpe exhaurire consuevit, superficialiter tantum delineatus sit, ut exinde necdum constet quid sit, nec qua salutari methodo tractari debeat; etenim quam plurimi nullum periculum, nullam malignitatem in scarlatina agnoscunt.

Item a quibusdam pro purpura, ab aliis pro petechiis, aut roſalia venditatur. Quidam eundem cum morbillis confundunt; ſicque una eademque tractant methodo; cum tamen, ut dein patebit, iſti morbi toto inter ſe differant cœlo; adeoque aliam exigant medendi rationem. Ut vero hæc clarius pateant, neceſſe erit, ut primo ſcarlatinæ principium, ejus progreſſum, & decurſum; dein vero ejusdem conſectaria, & reliqua, quæ ab eadem dependent, exhibeamus.

III.

Omnis ſcarlatina, ſive ſit benigna, ſive maligna orditur cum majore, aut minore laſſitudine, viriumque dejectione, quam mox ſequitur plerumque horripilatio, calor, febrisque.

Hoc ipſo tempore, præſertim in maligna, adeſt ingens dolor capitis, ſopor, quandoque delirium, niſus ad vomitum, tandem ipſe vomitus; quibus aliquando

propter

propter nimis violentam ventriculi conſtrictionem lypotimiæ accedunt.

Eodem fere tempore conqueruntur ægri de deglutitione difficili, anxietatibus, anguſtiis præcordiorum, & inquietudinibus, reſpiratio videtur parva, laborioſa, & ſolito frequentior.

Tandem præſertim in ſcarlatina maligna, jam prima, aut ſecunda, aliquando tertia die, aut tardius, ſuperveniunt exanthemata, quæ maculas rubras, inæquales, plus minus latas exhibent; iſtæ maculæ quandoque ita ad invicem conveniunt, ut uniformem per corpus ſcarlatinum colorem præſeferant; iſta eruptio fit primo in facie, collo, faucibus, pectore; tandem in dorſo, abdomine, & in reliquo corpore.

Si fauces inſpiciamus, videbimus omnes earum partes, ut palatum, tonſillas, uvulam, linguam, laryngem, pharyngem aliaque ibidem ſita organa, rubere, &

tu-

tumere; quod etiam in facie, & reliquo in corpore nunc magis nunc minus obſervatur. Ex quo evenit, ut ægri nec deglutire, nec reſpirare, ne quidem loqui valeant; & niſi præſentaneum afferatur auxilium, brevi ſuffocentur.

IV.

Hæc exanthemata, quia primis morbi diebus colorem rubrum cinabarinum repræſentant, ſcarlatina vocari ſolent.

Verum ad finem vergente ab eruptione die tertia, aut ineunte quarta, hæc ipſa exanthemata pallidiora fiunt, & tandem ſucceſſive, nimirum, quæ primo eruperant prius, alia vero tardius evaneſcunt.

Interim hoc obſervavi, quod exanthemata ſcarlatina primis etiam morbi diebus facile, & ſæpius variare ſoleant; nam nunc magis, nunc minus rubent; nunc plura, nunc pauciora in peripheria corporis conſpiciuntur.

V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0016
DFG

V.

Aſt hic ſpeciale phœnomenon, quod ſub finem horum exanthematum ſæpe, quamvis non ſemper obſervatur, exponendum reſtat; videlicet die ſexta, aut ſeptima poſt eruptionem ſcarlatinæ, certæ papulæ, ſeu puſtulæ ſat frequentes, præſertim vero in pedibus, & manibus in conſpectum veniunt, quæ miliaria alba vtcunque referre videntur, qua ex ratione multis in hoc morbo minus expertis imponunt, ut tales pro miliaribus venditent; aſt ſi iſtæ intime explorentur toto cœlo a miliaribus differre obſervantur; nam ſunt meræ veſiculæ vacuæ, quæ a ſeparatione, & elevatione epidermidis dependent; & nil niſi aëra in ſe continent; unde fit, ut dein latiores factæ, & ſuo volumine auctæ decorticationi cutis, de qua mox dicemus, fundamenta præbeant. Ego data opera plures & ſæpius tales puſtu-

ſtulas, aut dixero potius veſiculas, diſcidi, & ſemper tales, ut deſcripſi, inveni.

VI.

Igitur ex hoc ipſo mirabili phœnomeno exurgit aliud adhuc majore admiratione, & attentione dignum: nimirum cutis decorticatio. Hæc fit, in facie, collo, pectore &c. ſed præcipue in manibus & pedibus; ita, ut lamelæ integræ ſat longæ, latæ, & denſæ abſcedant, & ſeparentur.

Obſervavi, quod iſta decorticatio eo major ſit, quo magis cutis exanthemate ſcarlatinæ obſita, & occupata erat.

VII.

Sed neque hic finis malorum, quæ a ſcarlatina dependere ſolent, nam dum æger nonam decimam, aut undecimam attigerit morbi diem, incipit placide dormire, cibos appetere, aliisque functionibus bene, & fere naturaliter fungi, ſicque omnia morbi pericula ſuperaſſe videtur;

tur; unde fit, ut parentes, adſtantes, quinimo ſæpe etiam medentes, ægrotum tunc in vado conſtitutum eſſe credant. Aſt falluntur; ſupereſt enim majus jam ſuperato periculum; etenim die decima quarta aut decima quinta aliquando etiam tardius a diſſipata ſcarlatina ægrotus incipit fieri languidus, debilis, moroſus; ac tandem toto corpore tumidus; nam non tantum facies, ſed & pedes, manus, pectus, abdomen, & ſcrotum, denique univerſum corpus, leucophlegmatico turget tumore. Urinæ ſecedunt ſat paucæ, & quod admiratione dignum, plerumque cruentæ, aut loturæ carnium ſimiles.

Iſte tumor manifeſtat ſe primo in facie, & dein in reliquis corporis partibus. Vidi, quod aliquando ita increſcat, ut luce capiantur ægri, & nec pedibus inſiſtere, multo minus progredi, valeant.

VIII.

VIII.

De hoc hydropico tumore ſequentes obſervationes notari debent: & quidem

Primo, quod iſte leucophlegmaticus ſtatus ſuperveniat potiſſimum illis, qui copioſis aut malignis ſcarlatinæ exanthematibus afficiuntur. Vidi tamen benigniſſimæ ſcarlatinæ ingentem totius corporis tumorem adveniſſe.

Secundo, quod illi, qui majorem cutis decorticationem experiuntur, ſoleant etiam magis tumere, quam alii. Interim obſervavi valde magnum tumorem in aliquibus, qui nullam experiebantur decorticationem.

Tertio, quod infantes facilius, & magis tumeant, quam illi, qui ſunt ætate provectiores.

Quarto, quod ægri magis tumeant in hyeme, quam in æſtate; item illi magis, qui temporius libero ſe exponunt aëri, quam qui in debita tranſpiratione degunt.

Tan-

Tandem quinto, quod iſte hydropicus ſtatus periculoſior ſit, & plures exinde moriantur, quam ex primo ſcarlatinæ ſtatu.

IX.

Ex quibus inferre poſſumus, quod ſcarlatina optimo jure in duos poſſit, & debeat dividi ſtatus, ſeu ſtadia, aut periodos, aut etiam typos dicendos. Primum ſcarlatinæ ſtadium complectitur omnia illa, quæ a principio morbi uſque ad illum leucophlegmaticum tumorem eveniunt, quod tempus eſt viginti & aliquot dierum.

Ad ſecundum vero ſtadium referri debent omnia, quæ ſub & poſt prædictum tumorem obſervari, & contingere ſolent. Hæc duo tempora debent neceſſario inter ſe diſtingui, quia medentium diverſam exigunt attentionem, & curationem.

Interea notari velim, ſecundum ſtadium non ita arcte cum primo necti, ut

abesse non possit; multos enim vidi, scarlatina laborantes, si necessariæ cautelæ adhiberentur, a prædicto tumore liberos fuisse. Verum tamen ingenue fateor, quod, quamvis sæpe omnes possibiles cautelas in usum vocarim, nihilominus periculosus ille hydropicus tumor, aliquando secutus fuerit.

X.

Hæc sunt præcipua, & fere communia symptomata, quæ scarlatinam concomitari, aut subsequi solent.

Dantur autem adhuc alia symptomata, quæ anomala, aut adiaphora dici possunt; & quæ cum scarlatina aliquando conjunguntur, aut illam sequuntur. Talia sunt: hæmorrhagia narium, tussis, saliva cruenta, molesta sternutatio, glandularum colli, & parotidum tumor, obauditio, aut surditas; purpura tam alba, quam rubra, quæ quandoque cum scarlatina conjungitur, aut illam excipit. Præterea diversi quandoque solent fieri tam

inter-

interne, quam externe, ut in faucibus, in auribus, pectore, aliisque partibus, abscessus.

XI.

Notabiles sunt quidam scarlatinæ speciales casus: In his enim videntur ægri secundis velis procedere, neque in ægris quidquam apparet, quo quidquam mali ominari valeamus; ast die morbi septima, aut octava, aut etiam tardius ægri fiunt inquieti, mox convelluntur, delirant, tristes clamores sæpe edunt, & continuo e lecto prosilire nituntur.

Iste horrendus & lamentabilis status aliquot horis magis, aliis vero minus affligit; & aliquando ad duas, tresve hebdomadas extenditur, ægros viribus exhaurit, & plerumque e medio tollit.

Hic notatu dignum est, quod in similibus ægris nec cutis decorticationem, nec prædictum hydropicum tumorem unquam observaverim. Adeoque suspicari licet,

materiam illam exanthematicam ad cerebrum versam, ibidem sedem fixisse, & hanc tragœdiam lusisse. Tales casus habui in filiis perillustrium DD. de Schmidt, de Eckenstorff, & de Stab, qui exinde denati sunt. Erant vero alii in eodem periculoso statu constituti, (inter quos fuit mea filia natu major) qui favore Numinis sanitati restituebantur, ut dein in observationibus clarius patebit.

Hæc sunt, quæ multorum annorum decursu in scarlatina observavi symptomata. Videamus nunc, quid alii illustres, & experti in praxi medica Viri de eadem observarint, nobisque communicarint, & qua ratione illorum observationes cum nostris consentiant, aut dissentiant.

SEC-

SECTIO II.

Exponit diversas celeberrimorum de scarlatina relationes, & observationes, cum annexa modesta epicrisi.

XII.

Expertissimus & indefessus morborum observator, Sydenham, capite secundo & alibi sequentia de scarlatina affert.

„ Aestate exeunte infantes præcipue in-
„ festat. Rigent & horrent sub initium;
„ nec tamen admodum ægrotant; cu-
„ tis universa maculis parvis, rubris,
„ crebrioribus, latioribus, & magis ru-
„ bentibus, quam in morbillis interstin-
„ guitur. Ad duos, tresve dies persi-
„ stunt, quo quidem tempore evanescunt,
„ & decedente subjecta cuticula, squa-
„ mulis furfuraceis ad instar farinæ, cutis
„ conspergitur.

De Scarlatinæ curatione ſequentia habet capite ſecundo.

„ Cum hic morbus nil aliud mihi videa-
„ tur, quam mediocris ſanguinis effer-
„ veſcentia - - - nihil quidquam mo-
„ lior - - - ſatis habeo, ut æger a car-
„ nibus in ſolidum abſtineat, & a liquo-
„ ribus ſpirituoſis quibuscunque, tum ut
„ neque uſquam foras prodeat, neque
„ ſe perpetim lecto affigat. - - - Sim-
„ plici hac & naturali plane methodo
„ hoc morbi nomen (vix enim altius aſ-
„ ſurgit) ſine moleſtia, aut periculo quo-
„ vis facillime abigitur.

„ Veruntamen hoc animadvertendum
„ volo: ſi convulſiones epilepticæ, aut
„ etiam coma huic morbo ſub initium
„ eruptionis ſupervenerint, (quod quan-
„ doque accidit in pueris ac junioribus
„ hoc morbo laborantibus) omnino opor-
„ tet, ut epiſpaſticum amplum, ac for

„ te

„ te posteriori cervici applicetur, atque
„ porro, ut paregoricum e Syrupo de
„ meconio statim exhibeatur, repeten-
„ dum singulis noctibus, usque dum con-
„ valuerit, imperando interim, ut æger
„ bibat pro potu ordinario, lac cum tri-
„ plo aquæ coctum, & a carnis usu ab-
„ stineat.

XIII.

Brevis & succincta epicrisis eorum, quæ Clar. Sydenham de scarlatina effatus est.

Primo enim intuitu ex data de scarlatina descriptione cuilibet patebit, quod Sydenham scarlatinam in se tantum benignissimam agnoverit, & delineaverit; nam dicit, quod *leniter ægrotent, eadem affecti;* & quod *tantum nomen morbi habeat*, prætereaque nihil, & tandem quod unicum diætæ regimen requiratur, ut abigatur. Quæ omnia, ut candide ego ipse fatear, scarlatinam benignam tantum attingunt;

minime vero malignam; quæ, ut dein patebit, morbus acutiſſimus & periculoſiſſimus eſſe ſolet. Unde credendum eſt a Sydenhamo, nullum aliud notabile ſymptoma in ſcarlatina præter convulſiones, aut coma unquam obſervatum fuiſſe; quia alias, ſicut alibi in deſcribendis morbis, illorumque ſymptomatibus perquam ſedulum, & accuratiſſimum ſe exhibuit; hic quoque aliorum meminiſſet, ſi talia unquam obſervaſſet.

XIV.

Interim ſatis mirari non valeo, quod Richardus Mortonus, celeberrimus quondam in Anglia Medicus practicus, & Sydenhamo coævus ſcarlatinam malignam obſervarit, & deſcripſerit, quæ Sydenhamum latere videtur.

Quinimo magis adhuc miror, quod Daniel Sennertus celeberrimus quondam Practicus ſæculo jam præcedente, adeoque

que longe ante Sydenham de ſcarlatina maligna ſcripſerit, cujus Sydenham non meminit, quod inferius clarius patebit.

Aſt quamvis Clariſſimus Mortonius de ſcarlatina maligna mentionem faciat, in alio vero caſu, vix alicui modernorum arridere poterit, ubi ſcarlatinam cum morbillis confundit, & unum eundemque morbum eſſe judicat. Sic enim capite V. de ſcarlatina ait:

Hunc morbum, nimirum ſcarlatinam, prorſus eundem eſſe cum morbillis cenſeo. - - *Uterque eadem prorſus prognoſtica indifferenter miniſtrat; nec minus eandem plane medendi methodum poſtulat*: & plura ſimilia. Dein vero oſtendam, hos duos ſpecie diverſos eſſe morbos; adeoque debere habere aliam prognoſim, & aliam curationem. Ego ſancte & candide fateri poſſum, quod ex tot centenis ægris morbillis laborantibus, qui meæ curæ ſe commiſerant,

neminem amiserim; quinimo ex aliis eodem morbo affectis, & aliorum medicorum curæ commissis, rarissime quempiam exinde denatum legerim aut viderim. Contrarium autem obtinere in scarlatina maligna omnes hujates medici practici norunt. Adeoque exinde jam elucescit, scarlatinam, & morbillos specie diversos esse morbos.

Accedit, quod ordinaria contagii lege a scarlatina scarlatina; a morbillis vero morbilli contrahantur, & ultro propagentur.

Ex his ultro constat, quantum Sydenhamii & Mortonii de scarlatina judicium, & observationes a nostris superius expositis differant; neque enim reor necessarium esse, ut per partes ostendam, quæ cuilibet hæc legenti patent.

XV.

Videamus ultro, quid Eruditissimus & in republica litteraria Meritissimus D. Joann.

Joann. de Gorter, Profeſſor in Hollandia Celeberr. de ſcarlatina ſentiat. In ſuo ſyſtemate praxeos medicæ Tom. II. pag. 196. de ſcarlatina ſic effatur.

„ Macularum Scarlatinus color, quæ „ in levi febre oboriuntur; huic morbo „ dedit nomen, incipiunt plerumque in „ tenella ætate, tertio, vel quarto die „ febris levioris, non diu perſiſtunt, in„ ſenſibiliter evaneſcunt, relictis in cute „ quibusdam furfuribus; in facie incho„ are ſolent ſenſim latiores factæ maculæ, „ reliquum etiam interdum tegunt cor„ pus. Levis videtur bilioſa corruptio „ calore antecedentis æſtatis in tenella „ ætate, motu febrili ad cutim pulſa, „ ubi exareſcens materia corpus relinquit „ ſanum. (*a*)

„ Hæc materia ante eruptionem ober„ rans generat febrem, calorem, dolo„ rem, anxietatem, tuſſim, ſine pericu„ lo. (*b*).

XVI.

LVI.

Si hæc cum illis, quæ Clariſſimus Sydenham de ſcarlatina nobis communicavit, combinentur, videntur quoad omnia ad invicem convenire, adeoque ſcarlatinam benignam, minime vero malignam, multo minus illa funeſta conſectaria, quæ in ſecunda ejus periodo evenire ſolent, attingere. Hoc patet ex illis, (a) ubi dicit, quod *exareſcens materia corpus ſanum relinquat.* Item (b) quod *generet febrem, calorem, dolorem, anxietatem, tuſſim ſine periculo.*

Interim ſi tempora combinare licet, quibus Eruditiſſimus, Magnificentiſſimus D. Archiater de Haen in ſua ratione medendi aſſerit ſcarlatinam, per quam malignam 1748. in Hollandia graſſatam fuiſſe, mirari ſatis non valeo, quod Clar. D. de Gorter, qui 1750, adeoque biennio tardius hæc de ſcarlatina opera evulga-

gavit, nullam de prædictæ ſcarlatinæ malignitate mentionem faciat.

Hic eſſent alii plures celebres medici practici, ut Nenterus, Junckerus, Dover, aliique plures adducendi, qui, ſicut Sydenham, ſcarlatinam vix aliquam curam, aut attentionem mereri fatentur; quapropter etiam omittuntur. Interim ultimi tantum Autoris in idioma gallicum verſi (*legs d'un ancien Medecin à ſa patrie*) aliquot vocabulorum meminiſſe oportet, ut coram conſtet, quod ſcarlatinam, alias ſæpe funeſtiſſimum morbum, flocci faciat; poſtquam enim de morbillis egerat, ſic effatur:

„ Cette fiévre eſt d'un genre encore „ plus doux, & plus traitable, que ce„ lui de la Rugeole, & n' a pas beſoin „ de l'aſſiſtance du Medecin.

XVII.

Superſunt tamen alii, graves autores, qui quamvis non exquiſite, debitoque

que ordine, nihilominus tamen melius & magis appoſite ſcarlatinæ decurſum explanarunt. Sic in Ephemerid. nat. cur. ann. 6. & 7. obſerv. 145. pag. 206. ſub ſpecie purpuræ ſcarlatinam deſcriptam invenio a D. Simone Schulzio, ubi agit de purpura maligna infantum hoc modo:

„ Cum 1664 hiems mollis, & pluvio-
„ ſa eſſet, graſſabatur apud nos vere pri-
„ mo inſequente purpura epidemica ma-
„ ligna, quæ per totam æſtatem, & au-
„ tumnum uſque in hiemem ſæviebat,
„ plurimosque infantes utriusque ſexus,
„ & duodecimum annum attingentes (nam
„ ultra hanc ætatem vix aſcendebat,)
„ perimebat. Plerique ſecunda die mor-
„ bi, nonnulli etiam prima moriebantur;
„ illi ſolummodo evadebant, qui nulla
„ faucium inflammatione vel tumore æde-
„ matoſo (variabant enim iſta pro diver-
„ ſitate naturarum) infeſtabantur. Tum
„ omnibus ab iſto morbo liberatis poſt

„ co-

„ pioſum ſudorem (nonnullis etiam di-
„ arrhæa, ſed tantum unius, vel alte-
„ rius diei critica profuit) ſquamæ deci-
„ debant, rubore cutis evaneſcente. Tan-
„ dem, præſertim natu majoribus tumor
„ totius corporis inſtar leucophlegmatiæ,
„ & infimi ventris ſequebatur, qui per
„ aliquot ſeptimanas miſeris moleſtus erat;
„ ſudoreque etiam ſolvebatur, interdum
„ etiam largius profluente in curatione
„ admiſcebantur ſudorificis bezoardica.

Hic videmus ſub nomine purpuræ de-pictam ſcarlatinam epidemicam perquam malignam, quæ aliquando prima, aliquando ſecunda morbi die ægros trucidare ſolebat. Hic annotantur periculoſiſſima ejus ſymptomata, nimirum, faucium inflammatio, & tumor leucophlegmaticus. Sane dein patebit, quod plurimi ſcarlatina laborantes ex his duobus funeſtiſſimis ſymptomatibus e medio tollantur. Quod vero curationem ſcarlatinæ concernit, dici-

tur

tur illa in bezoardicis & sudoriferis ad invicem mixtas consistere; verum dein patebit, quod, si talia remedia volatilia sint, plus detrimenti, quam emolumenti in hoc morbo afferant; si vero sint insipida, terrestria, & fixa, inania sint medicamenta, & quæ, si in primis viis nullum adsit acidum, una cum excrementis per alvum deturbari soleant.

XVIII.

Sequentia etiam de scarlatina legimus in Actis. Med. Berol. Decad. prima Volum. 2do pag. 20. & sequentibus. „ Invasit febris scarlatina patientes cum rigoribus, cephalalgia, & cardiaca nausea, quam excipiunt, communiter „ vomitus; efflorescit quarto, vel quinto die sensim, atque sensim post præcedaneam asperam papillularum cutanearum elevationem rubedine per universum corpus a capite usque ad cal-

„ cem

„ cem cum cutis aliquali intumeſcentia,
„ ita, ut patientum externus aſpectus re-
„ ferat ideam cocti cancri. Iſta rubedo
„ interiora narium, limbosque & angu-
„ los oculorum obducit, - - verſus ſe-
„ ptimum diem ſine ſudoribus rubor iſte
„ fit remiſſior, cuticulaque inchoat de-
„ ſquamari, & tunc maxime, dum mor-
„ bus declinare videtur; fauces aphtho-
„ deo-inflammatoria congeſtione (a) pe-
„ riclitantur.

Reliqua vero, quæ ibidem paginis ſequentibus habentur, ad noſtrum ſcopum vix pertinent; dicitur nimirum ſcarlatina a Belgis *Rood-hont* appellari; unde etiam factum eſſe Chriſt. Joannes Langius aſſerit, ut ſcarlatina in Saxonia der rothe Hund vocetur. Lindanus vero illud exanthema, quod Belgæ *Rood-hont* appellant, ait, eſſe puſtulas rubicundiſſimas inſtar flammæ urentes; quæ potius ad roſalia, aut urticatam referri debent,

quam ad ſcarlatinam, quæ non in puſtulis, ſed maculis rubicundis conſiſtit.

Eadem fere de ſcarlatina legi poſſunt ibidem Vol. VI. pag. 21.

XIX.

Quantumvis itaque hic videatur ſcarlatina maligna ſecundum quid expoſita eſſe, ejusdem tamen curatio non alia, quam ſupra dicta Sydenhamiana adducitur; quæ, quamvis omni ſcarlatinæ conveniat, eſt tamen impar hæc ſola illis, quæ ſcarlatinam malignam concomitari, aut ſequi ſolent, tollendis diris ſymptomatibus.

(a) Hic dicuntur fauces inflammatoria congeſtione affici dum morbus declinare videtur, quod circa octavam, aut nonam morbi diem contingere deberet.

Ego ingenue fateor, quod primis tribus aut quatuor morbi diebus plerumque talem anginam inflammatoriam obſervaverim, rariſſime tardius; ut dein ex obſervationibus patebit.

XX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0038
DFG

XX.

Duo adhuc ſuperſunt celebres de ſcarlatina Scriptores. Unus eſt Daniel Sennertus, Archiater Saxonicus, & celeberrimus quondam Medicus practicus, qui jam ſub initium ſæculi præcedentis, adeoque fere primus ſcarlatinam quamvis anonyme, interim ſat apte ad rem deſcripſit; quæ enim Foreſtus lib. 6. obſerv. 41. & 59. affert, potius ad purpuram, quam ad ſcarlatinam referri debent.

Alter vero recentiſſimus & eruditiſſimus autor, & ſcriptor eſt D. de Navier Academiæ ſcientiarum Pariſinæ ſocius, qui idiomate gallico diſſertationem epiſtolarem de diverſis morbis epidemicis 1753 edidit, publicique juris fecit.

Clariſſimus Daniel Sennertus libr. IV. de febribus cap. XII. de variolis & morbillis ſcarlatinam ſub ſpecie morbi anonymi ſic deſcripſit:

„ Præter has differentias adhuc alia „ est, sed rarior quidem, quam aliquo- „ ties observavi, quo nomine autem ab „ aliis discernerem, hactenus dubius fui; „ etsi enim instar erysipelatis totum fere „ corpus prehendat, tamen non vidi, quod „ adultos (*a*) quod in erysipelate fere „ fieri solet, sed infantes solum corripiat.

„ Malo ergo ad morbillos referre; & „ forsan malum est, quod Foreſtus lib. 6. „ observ. 59. Purpuram & rubores appel- „ lat. Joann. Philipp. Ingrassias rosaliam „ a Neapolitanis nominari scribit. (*b*)

„ Maculæ rubræ & quasi ignitæ cum „ vix effatu digno tumore per universum „ corpus, quasi parva erysipelata erum- „ punt in principio, seu morbi die quar- „ to, vel quinto (*c*) In statu vero univer- „ sum corpus rubrum, & quasi ignitum ap- „ paret, ac si universali erysipelate labora- „ ret. (*d*) In declinatione rubor ille immi- „ nui, & maculæ rubræ latæ, ut in principio

„ ite-

„ iterum apparent, quæ tandem ſeptimo
„ vel nono die evaneſcunt, epidermide
„ ſquamarum inſtar decidente.

„ Malum hoc grave, periculoſum, &
„ ſæpe lethale eſt; nam calor eſt ferventiſ-
„ ſimus, ſitis inextinguibilis & plerumque
„ pulmonum (unde tuſſes excitantur) fau-
„ cium, & aliorum viſcerum inflammatio-
„ nes, deliria, & alia mala urgent (*e*)

„ In declinatione tandem materia ad
„ articulos extremorum transfertur, ac
„ dolorem, & ruborem, ut in arthriticis
„ excitat, cutis ſquamarum inſtar deci-
„ dit; mox pedes ad talos, & ſuras uſ-
„ que intumeſcunt; hypochondria læ-
„ duntur, reſpiratio difficilior redditur,
„ tandemque abdomen intumeſcit, (*f*)
„ ægrique non ſine magno labore, & poſt
„ longum tempus priſtinæ ſanitati reſti-
„ tuuntur, ſæpe etiam moriuntur. - -

Et reliqua, quæ quilibet, ſi lubet, ibidem legere poteſt. Eruditiſſimus hic aſ-

ſerit, quod Scarlatinam in adultis nec dum obſervaverit (*a*) unde judicat, eſſe morbum infantum; ſane hoc modernis & repetitis obſervationibus videtur eſſe conforme; quia, ut dein videbimus, rariſſime adultorum aliquis eadem affligitur.

Neque mirum cuiquam videbitur, ſi clariſſimus Sennertus dubius hæreat, an ad morbillos, ad purpuram, aut roſaliam, talem morbum referre debeat, ut (*b*) cum noſtro adhuc tempore multi illuſtres viri easdem erroneas ſoleant imbibere opiniones, ſed dein oſtendam, ſcarlatinam eſſe morbum ab omnibus his diverſum. Præterea unicuique hæc attente legenti, & conſideranti patebit, quod famoſiſſimus quondam Practicus Sennertus videatur hic vix non omnia, aut ſaltem præcipua ſcarlatinæ malignæ recenſere ſymptomata, ut (*c*) (*d*) (*e*) & (*f*) clare demonſtrant, exceptis tantum quibus-

busdam; quæ partim ex jam dictis, partim ex dein dicendis patere possunt.

Quapropter satis mirari non possum, quod tot, & tam illustres autores, qui post illum de morbis, in specie vero de scarlatina scripserunt, tam mance & defectuose eandem explanarint, & cum Sydenhamio scarlatinam benignam, nullo modo malignam descripserint, & exscripserint.

XXI.

Clarissimus autem & recentissimus de scarlatina, aliisque morbis epidemicis scriptor D. de Navier sequentia de scarlatina nobis communicavit:

„ Variolis tandem a mediocri orto frigore fere penitus extinctis, tempestate dein paulo mitius facta alius apparuit epidemicus morbus variolis longe magis inflammatorius, febris nimirum rubra, scarlatina dicta. Hic morbus per febrem admodum vehementem se manifestavit, quæ animi deliquiis, lassitu-

„ dinibus ſpontaneis, capitis fauciumque
„ doloribus, deglutitionem impedientibus
„ comitata erat.

„ Secundo die & ſæpe poſt viginti qua-
„ tuor vel triginta horas in toto corpo-
„ re maculæ rubræ, vivido ſcarlatino
„ colore, largæ, manus magnitudinem
„ ſæpe excedentes, figuræ irregularis,
„ & dorſum, pectus, femora & nates
„ ſæpe ita tegentes, ut unica tantum eſſe
„ videretur, apparuerunt. Hæ maculæ
„ quovis fere momento diſparentes, ſe in
„ alia loca eryſipelatis more conferre vi-
„ debantur, in quibus antea non fuerant.
„ Manus easdem tangens, calorem vivi-
„ dum & ardentem præcipue in adultis,
„ ſentiebat, & cutis ruberrima digito
„ compreſſa albeſcens remoto digito ſta-
„ tim rurſus rufeſcebat.

„ Pulſus parvus & frequens erat, &
„ reſpiratio difficilis & intercepta & ſin-
„ gultuoſa in plurimis eſſe videbatur. Ha-

lituo-

„ lituosus vapor e pulmonibus egrediens
„ adeo calidus & urens deprehendebatur,
„ ut unusquisque hunc percipiens faciem
„ ab ægro statim avertere cogeretur. Hæc
„ febris etiam interdum cum manuum &
„ brachiorum inflatione conjuncta fuit,
„ integrasque familias, aut insimul, aut
„ successive invasit. Vidit Cl. auctor in-
„ fantes hoc morbo laborantes, quibus
„ prodigiosa leucophlegmatia supervenit.
„ Quidam hac febre laborans, & usque
„ ad palpebras leucophlegmaticus, par-
„ cissimam brunam urinam reddens, qua-
„ lem in hac febre sæpissime, imo in-
„ terdum sanguinolentam secedere asserit
„ Cl. auctor, præmissis præmittendis,
„ ab omnibus symptomatibus vesicato-
„ riorum applicatione, liberatus fuit.
„ Quidam ventrem flatibus distentum
„ (dans un état de météorisme) & lin-
„ guam valde siccam plurimi vero humi-
„ dam habent.

„ Iis, qui emergunt, epidermis, quin-
„ to vel ſexto die per ſquamas decidit,
„ quinimo adoleſcenti tredecim vel qua-
„ tuordecim annorum tota manus pedis-
„ que cuticula exceptis unguibus decidit,
„ quarum unam Cl. Auctor adhuc aſſervat.
„ Niſi ægro ſtatim in primo morbi im-
„ petu ſuccurratur, eſcharæ gangrænoſæ
„ in fundo faucium verſus arcus & velum
„ palati ſuperveniunt, & hiſce ortis pau-
„ ci emergunt; hæc gangræna æſopha-
„ gum aſperamque arteriam ſæpe ante
„ occupat, quam illam percipere, illi-
„ que mederi queamus: Progreſſum vero
„ hujus internæ gangrænæ quam certiſſi-
„ me impedit gangariſma ex oxymelle cum
„ adjecto ſpiritu vini camphorato, qui
„ vero Hoffmanni methodo ſale alcali
„ præparatus eſſe debet, ne aquoſis mix-
„ tus lacteſcat. Quidam hac febre rubra
„ affecti quarto, vel quinto die eodem
„ modo pereunt, ac ſi per inflammatio-
„ nem

„ nem gangrænoſam pulmonum ſuffoca-
„ ti eſſent; alii poſt vehemens delirium
„ morientis magnam ſaniei quantitatem
„ per os & nares reddunt, & rubræ an-
„ tea maculæ poſt mortem in quibusdam
„ prorſus violaceæ conſpiciuntur. Hæc
„ ſymptomata vero in infantibus longe
„ minus violentia ſunt, remediisque fa-
„ cile cedunt.

„ Cauſam hujus morbi non ſolum cum
„ illa, quæ ſudorem anglicum, aphtham
„ gangrænoſam, dyſenteriam &c. ex-
„ citavit, eandem eſſe dicit, ſed in mi-
„ aſmate, quod cum morbilloſo compa-
„ rat, acri, cauſtico & putrefaciente
„ conſiſtere, ipſumque morbum analo-
„ giam alere perhibet cum morbo epide-
„ mico pecorum. His enim convaleſcen-
„ tibus pili & epidermis eodem modo de-
„ ciderunt, ac hominibus cuticula, &
„ in cadaveribus pecorum apertis ſem-
„ per viſcera quædam gangrænoſa inve-

„ nit

„ nit Cl. Auctor. Ex pecorum igitur
„ morbo hanc febrim per contagium or-
„ tam esse arbitratur, eandemque cum
„ variolis ideo quoque convenire asserit,
„ quia magnus infantum numerus eandem
„ brevi ante vel post variolas habuerit.
„ Virgo quædam post hanc febrem va-
„ riolis discretis benignissimis laboravit.
„ Venæsectio interdum ob vehemen-
„ tiam inflammationis summe necessaria
„ est. Præfert vero venæsectionem in
„ brachio, illam enim in pede institutam,
„ varia sæpius exceperunt incommoda,
„ in primis si viscera, quod sæpissime
„ fieri asserit, inflammatione quadam af-
„ fecta fuerunt. In delirio vero vel co-
„ mate jugularem quoque secare curavit.
„ Serum lactis tamarindinatum plantis-
„ que nitrosis sociatum pro potu largo &
„ clysmate injiciendum, post institutam
„ venæsectionem maxime commendat.
„ Si purgantia propter symptomatum

„ vio-

„ violentiam exhiberi non poſſunt, veſi-
„ catoria inter ſcapulas vel in ſuris opti-
„ mi effectus eſſe deprehenduntur. Ad
„ refrænandum ſtatum ſolidorum ſpaſmo-
„ dicum paregorica parva doſi poſt pur-
„ gationes vero majori exhibuit. Infan-
„ tes, hac febre ſcarlatina decumbentes
„ ordinarie ante febrem tuſſi ferina labo-
„ rarunt, quæ vero cum febre ſeſe im-
„ minuit & cum illa quoque evanuit.„
Vide Commentar. de rebus in ſcientia na-
turali & medicina geſtis, Part. I. Vol.
IV. pag. 338.

XXII.

Quemadmodum D. Daniel Senner-
tus omni cum fundamento primus dici de-
bet, qui morbum, quem nunc ſcarlati-
nam vocamus, ſat congrue deſcripſerat;
ita noſtro tempore non invenio ſcriptorem,
qui in explanatione ſcarlatinæ magis, &
melius reſponderet meis, quas ſuperius jam
adduxi, obſervationibus, quam ſit præ-
fatus

expertissimus D. de Navier. Hic enim præcipua scarlatinæ præsertim malignæ recenset, explanat & enumerat symptomata; periculumque, quod illis imminet, declarat, atque methodum, qua illis obviam eundum sit, egregiam exponit. In hoc vero mihi satisfacere non videtur, eo quod tempus, debitumque prædictorum symptomatum ordinem non determinet; sic exinde constare non potest, quando illa angina inflammatoria scarlatinæ advenire soleat, neque quando ille tumor leucophlegmaticus scarlatinam sequatur; ut nihil dicam de decorticatione, aliisque symptomatis, quæ scarlatinæ junguntur, & quæ ego jam recensui.

Item asserit, quod leucophlegmaticus ille tumor in infantibus tantum observetur; ego vero talem etiam in illis, qui non tantum ex infantia, sed & ex ephebis excesserant, observavi, ut dein patebit.

Præ-

Præterea in meis de ſcarlatina captis experimentis dixi, quod die circiter ab eruptione ſexta aut ſeptima plerumque obſervari ſoleant, præſertim in manibus & pedibus, certæ puſtulæ, albæ, aut albo flaveſcentes, & purpuram albam referentes; quæ ſi rite explorentur, nil niſi aëra in ſe continent; & ideo ut ſuperius dixi, potius veſicæ dicendæ, propter quod etiam a purpura alba diſtingui debent. Tales puſtulas neque a noſtro recentiſſimo ſcriptore, neque ab alio annotatas legi; quamvis nullus dubitem, quin tales, ut deſcripſi, ſæpius etiam ab aliis obſervatæ fuerint.

XXIII.

Tandem aliqua adhuc hic offendo de cauſis, & curatione ſcarlatinæ, quæ meis de contagio principiis contrariantur. Quare ſpero fore, ut Cl. Autor innata ſua humanitate patiatur, quædam ſcholia, ſerva-

servatis pariter debitis humanitatis legibus, sibi opponi.

Sic enim causam materialem scarlatinæ cum illa, quæ morbillorum, sudoris Anglici, & aphtharum est, comparat & eandem esse judicat.

Item asserit, scarlatinam esse morbum analogum morbo epidemico pecorum; rationem affert, quia in tali morbo epidemico pili & epidermis, sicut in scarlatina, decidere solent. Unde credit, quod ex tali pecorum morbo per contagium scarlatina ortum & originem duxerit.

XXIV.

Quod autem causa materialis scarlatinæ specie distincta sit a caussa materiali morbillorum, sudoris Anglici, aphtharum, aliorumque morborum, constat exinde, quia ordinaria contagii lege videmus, a scarlatina scarlatinam, non vero morbillos, aphthas, aliosque morbos ultro propagari & multiplicari. Item

aph-

Aphthæ ſolent occupare tantum os internum, fauces, aliasque partes adjacentes, non vero totum habitum corporis externum, ut ſcarlatina. Tandem in Aphthis ſunt puſtulæ, in ſcarlatina vero ſunt maculæ, quæ nullam præſeferunt ultra cutem elevationem aut eminentiam.

Quapropter per ſe corruit illa ſcarlatinæ analogia cum morbo contagioſo & epidemico pecorum; multo magis vero ortus ſcarlatinæ a tali pecorum morbo; quæ ſententia fere coincidit cum illa Clariſſimi Liſteri & Mead de ortu variolarum a morſu beſtiolæ venenatæ, de qua jam ſuperius in tractatu de variolis diximus.

Præterea huic ſententiæ officit, quia deberemus ſæpius obſervare, quod hoc tempore non tantum ſcarlatinæ contagium a pecoribus ad homines, ſed quod etiam ab hominibus ad pecora propagetur, quod certe nullus adhuc obſervavit; quin hoc ipſum primis de contagio principiis adver-

ſatur; diximus enim in tractatu de contagio; aliam eſſe luem bovinam, aliam ovinam, aliam caninam, & aliam humanam.

XXV.

Quod vero curationem ſcarlatinæ concernit (unico excepto gargariſmate cum ſpiritu vini confecto) judico perquam appoſite talem inſtitutam fuiſſe. Cum enim ſcarlatina in methodo medendi tanquam morbus inflammatorius ab expertiſſimo Viro conſideretur, ſic debet neceſſario ſanguis mitti, item debent omnia diluentia & emollientia antiphlogiſtica in uſum vocari.

Quare optime factum eſſe cenſeo, quod venæſectio fuerit inſtituta, ſerum lactis tamarindinatum, diverſis plantis nitroſis ſociatum fuerit ægris in magna quantitate exhibitum; ſimilia pariter clyſmata injecta, & tandem pro rerum exigentia veſicantia appoſita fuerint. De quibus omnibus dein, dum noſtram de eodem morbo cu-

curationem proponemus, prolixior erit ſermo.

Interim cum hæc propter ſtatum inflammatorium fiant, ex eodem fundamento ego ſane non auderem, illud gargariſma ex oxymelle & ſpiritu vini camphorato in uſum vocare; quia quamvis cum ſale alcali methodo Hoffmanniana præparetur, gaudet tamen ſemper particulis acribus irritantibus & volatilibus, a quibus metuendum eſt, ne faucium inflammatio potius augeatur, quam minuatur. Si vero illa deglutitio difficilis fit ſine inflammatione, ut in ſcarlatina benigna aliisque rheumaticis defluxionibus contingere ſolet, tunc nullus abhorrerem, quinimo ſimile gargariſma ad impediendum ulteriorem ad partem affectam affluxum lubens ſuaderem.

XXVI.

Ex his, quas ego ſuperius adduxi, & aliis, quas alii illuſtres practici annotarunt, obſervationibus, quisque cognoſ-

cet, & ut ſpero lubens fatebitur, ſcarlatinæ præcipue malignæ hiſtoriam, æthiologiam, præſertim vero curationem ad hæc uſque tempora ſat mancam, incongruam & inadæquatam fuiſſe; adeoque in his multa adhuc deſiderari; quibus ego pro modulo & tenuitate mea ſaltem quoad quid ſatisfacere conabor; reliqua vero aliis perficienda relinquam. Interim ſi quis ex his, quæ jam dicta ſunt, ſcarlatinæ definitionem ſeu deſcriptionem expoſtulet, ſequens ex his erui poterit: nimirum, quod ſcarlatina ſit morbus exanthematicus contagioſus & infantibus familiaris, in quo maculæ rubræ, plus minus latæ primo faciem, collum, pectus, dein univerſum corpus obſident; intra triduum aut quatriduum, aliquando tardius evaneſcentes; nunc majorem, nunc minorem, aliquando etiam nullam comitem habentes febrem, ac tandem diverſis aliis, prout benignæ aut malignæ ſunt, ſtipatæ ſymptomatibus.

Hæc

Hæc ſcarlatinæ generica deſcriptio determinat non tantum, quid ſit, ſed etiam quotuplex ſit ſcarlatina, & quomodo ab aliis morbis exanthematicis differat. Quare ſit

SECTIO III.

De diviſione & differentiis ſcarlatinæ.

XXVII.

Princeps & neceſſaria diviſio ſcarlatinæ eſt in benignam & malignam; benignam illam vocamus, quæ leviſſimis & vix moleſtis ſtipata eſt ſymptomatibus; qualis jam ſuperius a Clariſs. Sydenhamio deſcripta fuit. Maligna vero periculoſa & atrocia ſecum fert ſymptomata. Hæc eſt quidem generica ſcarlatinæ benignæ & malignæ deſcriptio, interim neceſſe erit, ut indicemus, quæ ſint illa ſymptomata,

quæ ſcarlatinam benignam & malignam comitari ſolent, ut differentia unius ab altero eo magis & clarius unicuique pateat; quod eo magis neceſſarium eſſe judico, quo plus ex obſervationibus conſtat, a ſcarlatina benigna nihil, a maligna vero plurimum metuendum eſſe. Scarlatina itaque benigna ſolet alias ſanos, aliquando cum leviſſima aliquando etiam ſine aliqua ſenſibili febre inopinato invadere, aliquando prima, aliquando ſecunda die, quandoque etiam tardius maculæ rubræ primo in facie, collo, & dein in reliquo corpore in conſpectum veniunt; ſicque tridui, aut quatridui, raro diutius, & ſine magna moleſtia perdurant, & tandem ſæpe ſine omni deſquamatione terminantur, quamvis Sydenham dicat, illas cum deſquamatione terminari. Infantes tali ſcarlatina laborantes bene appetunt, & placide dormiunt, reliquasque functiones ſine labore peragunt.

Hic

Hic tamen probe notandum esse judico, quod quandoquidem scarlatinæ etiam benignæ post quindecim aut sexdecim a scarlatina elapsos dies supervenire soleat leucophlegmaticus ille tumor, qui multo plus negotii, & ægro & medenti, quam ipsa scarlatina facessere consuevit.

XXVIII.

Aliter vero se habent symptomata in scarlatina maligna; nam ingens prostratio virium uti & appetitus, inopinato accidere solet, tandem sequitur vomitus; aliquando, sed raro diarrhæa; adsunt dolores capitis, febris & sitis magna; inquietudines, anxietates, vigiliæ, sopor, aliquando delirium; tandem aliquando prima, aliquando secunda, aut tertia die in conspectum venit scarlatina; hoc tempore fauces dolent, tument, rubent; ut non tantum deglutitio, sed & loquela difficilis reddatur.

Hæc ſcarlatina maligna diutius ſolet habitum corporis occupare, quam benigna; nimirum aliquando ad ſextam, aut ſeptimam protrahitur diem. Una vero alterave die, antequam evaneſcat, exurgunt in cute, ut ſuperius jam expoſueram, illa phymata ſeu quædam veſiculæ, purpuram albam referentes, quæ majores & ampliores ſpatio bidui factæ flacceſcunt & collabuntur; ſicque illi mirabili decorticationi, quam ſuperius deſcripſi, fundamenta præbent.

Hic pariter probe notandum eſt, quod prædictæ veſiculæ, præſertim, dum ampliores fiunt, videantur externa facie eſſe ſimiles variolis ſpuriis lymphaticis dictis.

Aſt magna eſt inter ipſas differentia, quia, ſi tales variolæ lymphaticæ aperiuntur, ſerum aliquod in ſe continent, in noſtro vero caſu ſemper obſervavi tales veſiculas eſſe vacuas.

Tan-

Tandem ſcarlatinam malignam ſequitur plerumque ſuperius jam deſcriptus tumor leucophlegmaticus, qui in benigna raro obſervatur.

Unde ex his, quæ hactenus dicta ſunt, facile patet differentia ſcarlatinæ benignæ a maligna, quam quiſque in praxi medica expertus non tantum in ſtatu, ſed jam ab initio morbi facile cognoſcet.

XXIX.

Exanthemata ſcarlatina multis impoſuerunt, & etiamnum imponere ſolent, ut illa aut pro petechiis, aut pro morbillis, aut pro purpura venditari ſoleant; quare nunc oſtendam, quæ ſit differentia ſcarlatinæ a petechiis, morbillis, purpura, urticata, roſalia, aliisque exanthematibus.

Petechiæ enim raro ante quartam diem morbi erumpunt; ſcarlatina vero aliquando ſecunda aut tertia die in conſpectum venit. Secundo ſcarlatina faciem & totum corpus occupat; petechiæ vero collum,

pectus, dorsum & lumbos obsident. Tandem petechiæ sunt distinctæ maculæ, scarlatina vero habet unam continuam cutis rubedinem.

Scarlatina differt a purpura per id, quod purpura habeat papulas ultra cutis superficiem prominentes, scarlatina vero habeat maculas, quæ cutis superficiem non excedunt. Item purpura nunquam statim sub initium morbi in conspectum venit, sicut scarlatina.

Eadem ratione differt etiam scarlatina a morbillis, quod videlicet morbilli sint exanthemata supra cutem aliquantum prominentia, nec tam lata, ut in scarlatina, præterea cum morbillis jungitur molesta tussis, coryza, & oculorum stillicidium, quæ in scarlatina non observantur.

Ex iisdem pariter rationibus differentia scarlatinæ facile eruitur ab aliis exanthematibus, ut rosalia, urticata, erysipelate, & maculis scorbuticis; quia priora prominentia habent exanthemata; ery-

si-

fipelas vero unam tantum corporis partem occupat, ſcarlatina autem totum corpus; & tandem maculæ ſcorbuticæ non rubent, ut ſcarlatina, ſed livent, item ſunt ſine febre, diuque corpus defœdant.

Hæc, quæ nunc de diviſione & differentiis ſcarlatinæ dicta ſunt, inſerviunt pariter pro facienda ſcarlatinæ diagnoſi; unde ſuperfluum fore judico, diagnoſin ſeparatim tractare, ejusque ſigna diſtinctiva adducere, quia ex his jam facile cognoſci poteſt, quæ benigna & quæ maligna dici debeat; item ex iisdem ſcarlatina facile a morbillis, purpura, aliisque ſupra dictis exanthematibus diſtingui poteſt.

SECTIO IV.

De ſcarlatinæ cauſis.

XXX.

Quemadmodum aliorum morborum tam internas, quam externas, tam proxi-

ximas, quam procatarcticas quisque medicus debet indagare causas, ita pariter nostra interest, scarlatinæ inquirere & assignare causas, quæ scarlatinam ab aliis exanthematibus distinguant, quod, ut eo facilius assequamur, sequentes observationes notandæ & præmittendæ erunt, ut

Primo, quod scarlatina plerumque epidemice grassari soleat, etenim uno alterove anno plures, alio vero neminem affligere solet.

Secundo, quod talis scarlatinæ epidemia, quamvis Sydenhamius illam ad autumnum tantum referat, quolibet anni tempore grassari soleat; interim viginti & aliquot annorum spatio ego hic Viennæ illam sæpius circa æquinoctium vernale, quam alio tempore observavi; quo tempore etiam observarunt D.D. Schulzius, Navier, aliique.

Tertio, quod scarlatina sit affectus, qui ut plurimum infantes, illosve, qui

non

nondum ex ephebis exceſſerunt, invadere ſoleat; quamvis ego aliquos triginta, & ultro annos natos noverim, qui ſcarlatina correpti erant. Idem legimus in Actis med. Berolin. Dec. 1. vol. VI. pag. 21. ubi legitur fœmina adulta ſcarlatina laboraſſe. Idem etiam obſervavit & annotavit Eruditiſs. Magnific. D. Haën in ſcarlatina maligna, quæ 1748. in Holandia graſſabatur, & infantes adultosque corripiebat.

Quarto quod ſcarlatina præcipue maligna ſit morbus ſumme contagioſus, & periculoſus, qui integras familias quandoque delere ſolet, & ideo peſtis infantum vocari conſuevit. Si enim in communitate decem infantum unus eadem corripiatur, vix aliquis præſentium ab ea immunis erit. Unde videtur ejus contagium facilius propagabile & multiplicabile, quam in variolis & morbillis ipſis.

Ve-

Verumtamen adeſt hic obſervatio admiratione digna, quod aliquando ſanguine juncti, quamvis longo locorum intervallo inter ſe diſſiti, eodem ſcarlatinæ contagio afflari & fere eodem tempore laborare obſervati fuerint. Tales funeſti caſus attigerant quondam nimirum antetriginta circiter annos Nobiliſſimam familiam Auſtriacam, Comitum de Curland, cujus quinque proles diverſa prædia inhabitantes, ubi nulla ſcarlatina graſſabatur, ſcarlatina vix non eodem tempore corripiebantur, & ſummo cum nobiliſſimæ familiæ luctu enecabantur.

Tandem quinto, quod cauſa materialis ſcarlatinæ tam benignæ quam malignæ videatur, eſſe una eademque ſpecie; ratio aſſerti eſt, quia repetitis vicibus obſervavi, quod contagii lege ſcarlatina benigna communicata fuerit aliis, in quibus malignæ notas præſeferebat, & viciſſim; ſic in communitate aliquot infan-

tum

tum non videntur omnes laborare maligna, neque omnes benigna. Hoc ipsum videmus in contagio variolarum, quod nimirum aliquis variolis discretis laborans easdem communicet alteri, in quo malignæ indolis notas exhibent. Verum hoc dein magis dilucidabitur, dum causa materialis scarlatinæ in aprico erit.

XXXI.

Cum itaque ex mox antea dictis constet, causam materialem scarlatinæ esse contagiosam & multiplicabilem, debemus primo determinare in quo proprie talis causa consistat; item cum ex observationibus constet, quod talis causa materialis non semper agat, seu non semper ultro communicetur, & multiplicetur, unde debent assignari tales causæ procatarcticæ, occasionales & disponentes, quæ illam causam materialem in actum deducant, ut hoc modo multiplicetur, id est, ut epidemice grassetur.

Quare

Quare, si considero generalia contagii principia, quæ superius in tractatu de contagio adduxi, nullus dubitabo, quin statuam, quod causa materialis scarlatinæ consistat in certis seminiis animatis multiplicabilibus; eodem fere modo, uti scimus, & videmus, alia semina animalium & vegetabilium ultro propagari & multiplicari; qua ratione propter analogismum facile concipitur & explanatur, quidquid in hoc genere discutiendum occurrit.

Etenim pro certo habeo, quod si cum miasmate scarlatinæ fieret insitio, aut inoculatio, uti talis cum variolis fieri consuevit, quod scilicet scarlatina exinde exurgeret, & non alius morbus, in qua opinione eo magis confirmor, ex aliis experimentis non pridem institutis. Sic novimus, hoc modo morbillos, quin imo morbos contagiosos armentorum propagari, & multiplicari posse. Vid. Tractat. de contagio, & de variolis. Si igitur scarla-

latinæ variolarum, aliorumque morborum contagioſorum eadem eſt ratio, & modus propagandi & multiplicandi, uti in vegetabilibus, tunc ſicut admittere debemus, quod in vegetabilibus fiat propagatio & multiplicatio per propria ſeminia, idem a poſteriori dicendum erit de ſcarlatina, aliisque contagioſis affectibus.

Quare huc quam optime quadrat, illud eruditiſſimi Marcelli Malpighii ſapientiſſimum effatum: *Rerum enim natura tenebris obvoluta, cum ſolo analogiſmo pateat, tota percurrenda venit. &c.*

XXXII.

Poſtquam igitur pro cauſa materiali ſcarlatinæ certa & propria ſeminia conſtituiſſemus, ſupereſt, ut procatarcticas & occaſionales ſeu prædiſponentes aſſignemus cauſſas, a quibus prædictum miaſma, ſeu ſeminia in actum deducantur.

Quare judico, tales procatarcticas cauſſas a certis tempeſtatum mutationibus

plerumque dependere; quæ vero illæ tempestatum mutationes sint, difficile est determinatu, quia quascunque sensibiles assignavero, semper verum erit, quod sub iisdem mutationibus etiam alii morbi contagiosi, ut variolæ, morbilli, petechiæ, purpura, aliique aliquando grassari soleant.

Quapropter necesse erit, ut recurramus, aut ad certos ventos talium seminiorum vectores; aut ad talium seminum certum, & debitum maturitatis terminum, ad hoc, ut dicere possimus, quod hæc seminia scilicet scarlatinæ potius, quam alia in actum deducantur.

Unde tales causas prædisponentes deduco a tempestatibus humidis præsentibus, vel prægressis, & diu durantibus, aut a certis tunc temporis flantibus ventis, Euronothis, aliisque Australibus, seminum vectoribus, illorumque evolutiones foventibus & promoventibus. Talia enim semina vel a prædictis causis af-

fe-

afferuntur, vel inertia jam dudum latentia, in actum deducuntur, hoc est massæ humorum communicantur, ibidem evolvuntur, & multiplicantur, humores inficiunt, & conspurcant, uti superius in tractatu I. de aqua nuceriana putrida §. 74. dictum fuit; ista materia putrida exanthematica in massa humorum aucta, aliquando occupat pulmones, hepar, ventriculum, aliaque interna viscera, alia vero subsistit, & hæret maximam partem in membrana cellulosa, ejusque vasis; unde etiam fit, ut non tantum totus corporis habitus rubicundus, sed etiam plus aut minus tumidus appareat; quin imo dein ostendam, quod subsequens ille leucophlegmaticus tumor exinde dependeat.

XXXIII.

Iste, de quo nunc dixi, est communis & ordinarius contagia propagandi, & multiplicandi modus. Interim debemus admittere, quod causa materialis conta-

gii, sive scarlatinæ, sive cujusque alterius, aliquando interne in corpore lateat, diuque hæreat iners ibidem, donec a certis causis in actum deducatur, ut evolvatur, efflorescat & multiplicetur. Ratio vero & necessitas, talia seminia in corpore latentia admittendi est:

Primo, quia ex observationibus habemus, quod scarlatina, uti jam diximus, de variolis & purpura (§. 21.) aliquando sporadice, & dum nulla adest epidemia, efflorescat.

Secundo, quia experientia nos docet, quod profunda, fortis imaginatio, horror, aut terror tales excitare possint morbos exanthematicos. Vid. Tractat. de contagio, & alium de variolis.

Tandem tertio, quia in prædicto casu DD. Comitum de Curland aliquot milliaribus ab invicem distantium, & scarlatina fere eodem tempore laborantium, leges ordinariæ contagii locum habere non

pos-

possunt; quis enim admittere poterit scarlatinæ contagium ad aliquot milliarium distantiam propagatum, aliisque fratribus & sororibus communicatum fuisse?

Quapropter admittere debemus, quod talia scarlatinæ seminia in illorum corporibus præextiterint; hæc vero illis quondam communicata fuerint vel titulo hæreditario a parentibus vel ab aëre, esculentis potulantisque. Talia vero in nostris corporibus aliquando contingere, legere possumus Tractatum de contagio.

XXXIV.

Sed major videtur difficultas in eo, quod talia seminia brevi temporis intervallo in locis ab invicem diffitis, & ubi nulla scarlatinæ epidemia observabatur, omnes fratres & sorores prehenderit & afflixerit. Hæc mira phœnomena procul dubio deducere debemus, vel exinde, quod prædicta scarlatinæ seminia in corpore hospitantia sibi præfixum maturationis

& evolutionis terminum eodem fere tempore attigerint; vel quod ab illorum forti imaginatione prædicta seminia fere eodem tempore, ut efflorescerent & evolverentur, in actum deducta fuerint; nam frater, qui primus scarlatina maligna laborabat intra triduum, quatriduumve exinde denatus erat; quo tristi nuncio ab aliis fratribus & sororibus accepto, debuerit necessario in iisdem non tantum tristis & mœsta idea, sed simul horror & pavor de hoc funesto morbo exoriri; ut exinde idem etiam morbus ortus fuerit. Vide Clar. Fieni elegantiss. tractatum de viribus imaginationis. Plura similia videri possunt in tractatu de contagio.

Huc enim referri potest obvia & nostris assertis analoga observatio, quæ ex vegetabilium efflorescentia & fructificatione deduci potest; sic constat, vegetabilium semina terræ mandata aliqua citius, alia tardius efflorescere; aliqua primo anno,

no, alia secundo aut tertio, alia vero longe tardius fructificare.

Hoc ipsum videmus etiam in animalibus; quædam enim, ut insecta, & alia animalcula minima, armato tantum oculo visibilia vix nascuntur, jam multiplicant, & multiplicantur. Vide Lœwenhœck de arcanis naturæ; alia vero intra unum, alterumve annum, aliqua, ut homo intra quindecim, & plures annos multiplicant: si itaque in aliis seminibus certos & diversos pro sui evolutione, & multiplicatione debemus admittere terminos, cur idipsum etiam in seminiis morborum contagiosorum non admittamus non video.

Verum si hæc pro tenuitate mea allata alicui ut facile prævideo, non arrideant, ut meliora proferre studeat, rogo, quibus ut assentiar, non laborabo.

XXXV.

Supereſt adhuc alius, quamvis forsitan valde rarus modus, quo scarlatina,

aliaque exanthemata externæ corporis ſuperficiei communicari ſolent; contingit nimirum quandoque, ut animalcula & ſeminia v. g. ſcarlatinæ in aëre volitantia ipſi cuti adhæreant, ibique ſedem figant, aliquando etiam ultro penetrent, atque reſorbeantur, ſicque in cute prædicta exanthemata exhibeant. Hac de re duas ſingulares, & valde curioſas adducam obſervationes, quarum primam invenio apud Clar. Lanciſium in eruditiſs. ejus tractatu de noxiis paludum effluviis lib. I. Part. I. cap. XVIII. Dum de minimis animalculis in locis humidis, & paludoſis genitis, atque per aëra volitantibus, ratiocinatur, ſic effatur.

„ Nam cum ejusmodi animalcula ab
„ ambiente aëre in omnia foramina,
„ quæ habent oſtiola paulo latiora, quam
„ ſint illorum moles, ſoleant irrumpere; ubi tamen anguſtiora invenerint,
„ fieri poteſt, ut cunei more diffindendo,

„ vul-

„ vulnerandoque ampliora reddant, ido-
„ nea nimirum excipiendis illorum ovu-
„ lis. Probabilem vero ejusmodi conje-
„ cturam faciunt ea, quæ nos ipsi con-
„ tingere videmus, apud illos paluſtrium
„ locorum incolas, qui ſtatim atque no-
„ cens illud hoſpitium experiuntur, fa-
„ ciei colorem in deterius mutare, va-
„ riisque puſtulis, atque exanthemati-
„ bus fœdari ſolent.

XXXVI.

Altera vero majoris indaginis, & magis curioſa legitur hac de re hiſtoria apud Paulum Sorbait celeberrimum quondam Practicum Vindobonenſem in illius med. Pract. Tract. III. cap. XVI. de febre petechiali hoc modo.

Exanthemata petechiis ſimilia totam
„ propemodum aulam cæſaream, & utrum-
„ que Gynæceum nuper 1674. in ſylvula
„ ad pulchrum fontem dicta, cum ſub
„ dio inter abſciſſas arbores, comœdia

„ exhiberetur, ſub crepuſculum noctur-
„ num, corripuerunt; ita, ut ad gy-
„ næceum derepente vocatus tantam ex-
„ anthematum copiam nobiliſſimarum do-
„ micellarum corpuſcula defœdantium,
„ obſtupuerim; nullus aderat calor, non
„ conquerebatur de quadam cordis op-
„ preſſione. Suſpicabar primo ſuffitum
„ aliquem arſenicalem venenatum, ad
„ venti favorem a ſicariis factum fuiſſe;
„ ſed poſtquam intellexi, locum illum
„ plenum fuiſſe ſerpentibus, ſtellionibus
„ & lacertis, plurimas arbores putridas
„ vermibus plenas, & inſectis putridis
„ & venenatis infectas adeſſe, nec lo-
„ cum adeo perflatum fuiſſe, conjeci, ad-
„ fuiſſe miaſma quoddam, quo aër in-
„ fectus fuit, & conſequenter homines,
„ qui tamen ab imbecillitate veneni omnes
„ perſanati fuerunt; nec fuerunt pete-
„ chiæ, ut ſibi quædam ſiniſtre per-
„ ſuadebant.

Ex

Ex hac singulari, & notabili historia plura medicis practicis necessaria edocemur, & quidem primum, quod hic ab eruditissimo Sorbait annotatus exanthematicus affectus ad scarlatinam benignissimam reduci debeat.

Secundum, quod morbi exanthematici a miasmate animato, seu ab animalculis, illorumque seminiis per aëra volitantibus, & externæ superficiei corporis adhærentibus, aut per alias vias eisdem communicatis dependere possint. Tandem

Tertium, quod similis morbus exanthematicus, & benignus a petechiis, aliisque malignis distingui debeat.

Si quis vero plura de exanthematibus prædicta ratione communicabilibus, videre velit, legat & relegat elegantissima, omnique eruditione plena Illustriss. & Eruditiss. D. L. B. van Swieten commentaria in Tom. II. §. 723-4-5.

SE-

SECTIO V.

Exponit ſymptomata, & ſedem ſcarlatinæ.

XXXVII.

Statum morbi in ſcarlatina eſſe inflammatorium demonſtrant rubor, ardor, dolor, & tumor, quare evidens eſt, ſanguinem in minimis vaſis reſtagnare, unde prædicta dependent.

Iſta ſtaſis videtur fieri præcipue in illis vaſis, quæ membranam celluloſam perreptant, aut in eam terminantur; unde dein non tantum ille tumor, qui præſente ſcarlatina, adeſt, ſed vel maxime alter tumor leucophlegmaticus, qui tardius ſcarlatinam ſubſequitur derivari debet.

Si conſideremus experimenta, quæ Clariſs. Ruiſchius de membrana celluloſa inſtituit, videbimus, quod illa non tantum omnia vaſa ſanguifera, illorumque mini-

minimas ramificationes; ſed omnes etiam nervos, illorumque minimas diviſiones obvolvat & comitetur; item quod hæc membrana in diverſam molem tendi, & elevari poſſit; quod diverſi tumores, præcipue vero emphyſemata nos docent; ſi itaque hæc, aliaque ſimilia perpendamus; facile concipiemus, quomodo prædictus tumor in ſcarlatina fieri poſſit.

Major quidem videtur difficultas, de illo tumore leucophlegmatico, qui ſcarlatinam ſequitur; ſed facilius concipietur, ſi intimius illa, quæ ſub ipſa ſcarlatina, aut ſtatim poſt illam, obveniunt, perpendantur; dixi enim quod tempore exanthematum ſcarlatinæ humores in vaſis ipſis, quæ cutem membranamque cellulosam perreptant, reſtagnent, adeoque hæc nimium tendantur, lacerenturque; unde dein tollitur illa cohæſio epidermidis cum cute, quam deinde ſequitur illa deſquamatio & decorticatio.

Quo

Quo facto alia vasa peripheriæ corporis privantur illo sibi necessario tegumento, & sustentaculo; unde mirum non est, quod ipsa membrana cellulosa, irruentibus majore quantitate in illam humoribus, tendatur, & in tumorem leucophlegmaticum elevetur.

XXXVIII.

Ex quibus etiam patet ratio illorum, quæ §. VIII. dixi; quare nimirum illi majorem desquamationem, & decorticationem experiantur, qui pluribus scarlatinæ maculis obsidebantur. Item quare illos major, & periculosior leucophlegmaticus tumor vexare soleat, qui majorem decorticationem experti erant?

Huc debet etiam referri singularis quædam observatio de cute sive boum sive ovium morbo aliquo contagioso denatorum; corium enim ex tali cute præparatum nullius usus esse solet, quia tantam

tam possidet teneritudinem, ut facillime laxetur, & dilaceretur.

Ratio hujus phœnomeni in eo consistit, quod in tali morbo fiat stasis humorum in minimis vasis cutem perreptantibus unde hæc vasa partim nimium distenduntur, partimque rumpuntur; ex quo dein exurgit minor partium, fibrarumque cutis ad invicem cohæsio, minorque firmitas. Hæc vero adhuc magis patent, quod ex similibus morbis pili in brutis, capilli in hominibus suo nutrimento destituti, sponte decidere soleant.

XXXIX.

Dixi superius §. III. IV. & reliquis quod in scarlatina præsertim maligna adsit tam vehemens faucium tumor, rubor, & ardor, ut ægri quandoque nec deglutire, nec loqui, nec respirare valeant; ex quibus spero fore, ut quilibet judicet in tali casu summam adesse inflammationem, quæ non tantum laryngem, pharyngem, lin-

linguam, tonsillas, aliasque partes in faucibus sitas occupet, sed sæpe etiam se ad æsophagum, ventriculum, arteriam asperam, pulmonesque extendat; in quo casu affligit nausea, vomitus, aut perpetuus nisus ad vomendum cum continuis deliquiis & lypotemiis. A stasi inflammatoria arteriam asperam, pulmonesque obsidente fit continua tussicula, respiratio perquam difficilis, parva & frequens summisque anxietatibus juncta.

XL.

Dum itaque prædicta mox recensita ita fiunt, exurgunt exinde necessario alia his similia, & lethalia mala; nimirum venæ jugulares, & vertebrales exinde compressæ se in subclaviam, & cavam exonerare non possunt; adeoque fit stasis inflammatoria in cerebro, ejusque sinubus, unde dein sopor, delirium, convulsiones, gangræna, & mors expectanda sunt.

XLI.

XLI.

Dixi superius §. XXXI, quod causa materialis scarlatinæ tam benignæ quam malignæ videatur esse una eademque specie. Quia vero hæc propositio alicui paradoxa videri posset, rationem dedi, quia nimirum experientia constat, quod a scarlatina benigna maligna, & viciſſim a maligna benigna contrahatur; uti hoc ipsum in variolis benignis & malignis videmus.

Verum quia hæc ad convincendum quemquam ratio quandoque non sufficeret, sequentia spero omnibus satisfacient: sic hoc ipsum videmus in omnibus aliis seminibus vegetabilium, quod si eadem materialia semina in diversis locis, aut diversis terræ plagis, aut etiam diverso tempore terræ mandentur, quod nimirum fructus quoad aliquas circumstantias diversi exinde oriantur; quin imo videmus ex eadem v. g. arbore fructus quoad quædam

accidentia, ut magnitudinem, colorem, maturitatem, diverſos proveniu. Quare ergo non etiam idem poſſet eſſe in feminiis ſcarlatinæ, & variolarum non video?

Sic legimus in Bonet. medicin. ſeptemtrionali parte altera pag. 222. quod variolæ & morbilli in inſulis orientalibus, & occident. ſint ſemper maligni: Cujus rei cauſa non ſunt ſeminia variolarum aut morbillorum, ſed loca ipſa, aut aër, aut corpora incolarum ita diſpoſita.

XLII.

Aſt ſupereſt hic difficilior quæſtio de eſu mytuli ſolvenda. Experientia enim conſtat, quod quamdiu hoc venenum in ventriculo latet, exanthemata in circumferentia corporis oriantur; quamprimum vero illud evomitur talia exanthemata diſpareant. Vide eruditiſſima comment. van Swieten Tom. II. §. 399. Igitur evidentiſſime exinde deducere poſſumus, quod

ex-

anthemata ſcarlatina, aut quæcunque alia a prædictis ſeminiis verminoſis non dependeant.

Hoc argumentum videtur in fronte habere aliquam vim, qua etiam illis, qui noſtrarum eſſent partium, imponere poſſet; ſi vero in receſſu conſideretur, apparebit, quod noſtram de contagio ſententiam potius corroboret, quam infirmet. Nam duplicis generis debent admitti exanthemata; nimirum illa, quæ contagioſa, ſeu ultro multiplicabilia eſſe ſolent; qualia ſunt: ſcarlatina, morbilli, variolæ, petechiæ, & ſimilia. Item alia, quæ non ſunt contagioſa, ut lentigines, ephelides, ſudamina, maculæ hepaticæ, & ſcorbuticæ; huc etiam ſpectant illa, quæ a pulicum morſibus cuti infliguntur, & petechias quandoque mentiuntur. Quapropter ad ultimam hanc claſſem debent pariter reduci illa exanthemata, quæ a comeſtis mytulis dependent. Quia nimi-

rum a mytulo in primis viis hærente, & internos ſpaſmos excitante humores magna vi ad peripheriam corporis premuntur, qui ibidem ſubſiſtentes talia exanthemata exhibent. Dum vero mytulum evomitur, ſpaſmi ſedantur, & liber humorum circulus per vaſa cutis conciliatur, ſicque exanthemata evaneſcunt.

Hujus aſſerti clariſſimum exemplum habemus in illis præcipue fœminis, quibus annis intra quadrageſimum & quinquageſimum menſtrua valedicere ſolent; iſtæ enim a ſpaſmis internis, ſæpiusque recurrentibus vexantur, phlogoſibusque afficiuntur, ex quibus facies adinſtar ſcarlatinæ rubere, moxque palleſcere ſolet.

Hæc ſunt præcipua ſcarlatinæ ſymptomata, quorum non tantum decurſum, ſed & cauſas, rationesque pro poſſibili explanavi; ſuperſunt plura alia exponenda, quorum quia ratio facile patet, aut,

quia

quia jam ſuperius §. XXI. data eſt, talia hic tacitus præterire volo.

SECTIO VI.

Exhibet prognoſim ſcarlatinæ.

XLIII.

Scarlatinam benignam, ſi nullus in ſex rebus non naturalibus committatur error, eſſe omni periculo expertem omnes norunt practici. Altioris vero indaginis, & majoris periculi ſcarlatina maligna eſſe ſolet.

Scarlatina maligna habet ſuos malignitatis gradus, nam aliquando prima, aliquando ſecunda, tertia, aut quarta die, aliquando tardius interficere ſolet.

Gradus malignitatis deſumitur a ſymptomatibus affligentibus; ſi enim ſumma adſit proſtratio virium, ingens in deglutitione,

tione, & respiratione difficultas, sopor, delirium, intra unam alteramve diem jugulare potest.

Si stantibus his diris symptomatibus pulsus sit parvus, & celer, videtur jam gangræna subesse.

A contrario multum sperare possumus, si ægri libere respirent, si exigua cum difficultate deglutiant, & si pulsus, non obstante ejus celeritate, sit fortis.

In infantibus cæteris paribus minus est periculum quam in adultioribus, quia illorum corpora magis sunt transpirabilia faciliusque sine dilaceratione fibrillarum tendi possunt.

Quo tardior & rarior fit scarlatinæ eruptio, eo benignior plerumque esse solet; quo autem citior, & copiosior corpus obsidet, eo periculosior esse consuevit. Interim vidi sæpe statim prima die scarlatinam benignissimam in conspectum venisse. Item observavi, quod, quamvis

vis exanthemata scarlatinæ sint rari, si tamen febris, & anxietates perseverent, semper mali moris dicenda sit scarlatina.

Quando scarlatina sedem mutat; hoc est quando nunc una, nunc altera pars corporis magis rubere videtur; aut quando universaliter in ambitu corporis nunc major nunc minor apparet rubedo; metuendum est, ne in aliqua interna corporis parte sedem figat, sicque periculum augeat.

Si in frequente, & copiosa scarlatina externus corporis habitus tumeat, facilius toleratur morbus, secus enim adest intolerabilis ardor.

Si corpus in peripheria tumeat, subsequitur certius decorticatio, quam si non tumeat.

XLIV.

Si dissipata jam scarlatina ægri adhuc febricitent, inquieti, & insomnes sint,

signum est crisim necdum perfectam adesse, adeoque multa adhuc metuenda supereſſe.

Quibus scarlatina ad decorticationem disponitur, videtur quasi critice hac ratione evacuari; observavi enim, quod tales ægri non tam ex scarlatina quam ex subsequo tumore leucophlegmatico metuendum habeant.

Si post superatam jam scarlatinam præcipue malignam ægri ab omni febre immunes sint; & tamen non appetant, languidique maneant, signum est prædictum tumorem leucophlegmaticum in propatulo esse.

Si tumor iste leucophlegmaticus cum pulsu febrili conjunctus sit majus portendit periculum, quam si sit sine febre.

Si adhibitis exquisitissimis, quæ ars dictat, remediis, tumor ille leucophlegmaticus nihilominus cedere nolit, tunc vel fit raptus illius seri ad cerebrum, ex quo ægri fiunt comatosi, sicque aut convulsi,

vulsi, aut apoplectici pereunt. Vel fit decubitus ad cavitatem thoracis, unde dein sequitur suffocatio.

SECTIO VII.

Scarlatinæ, ejusque graviorum symptomatum curationem proponit.

XLV.

In methodo scarlatinæ benignæ medendi exponenda non detinebor; etenim ex illis, quæ jam superius adduxi abunde constat, medici satagentis opera opus non esse, sed sufficere, si tales ægri regimine, quoad sex res non naturales temperato utantur.

Unicum tamen in similibus casibus observandum tam ægris, quam medentibus injungo, ne scilicet evanescentibus jam exanthematibus ægri nimis cito aëri frigi-

do se exponant, nam superius jam insinuavi, quod scarlatinæ etiam benignæ aliquando supervenire soleat, tumor ille molestus, & sæpe periculosus leucophlegmaticus dictus.

XLVI.

Si vero scarlatina maligna adsit, quæ cognoscitur ex signis §. XXVIII. & XXIX. tunc funestissimo huic malo exquisitis, & energiticis remediis quantocius obviam eundum est; quia hic ipse morbus, ut alii inflammatorii vel discutitur vel transit in gangrænam, aut abscessum, aut alium §. III. & IV. descriptum affectum. Quapropter indicationes curativæ ex datis de scarlatina causis §. XXX. formandæ erunt.

Pro prima caussa assignavimus miasma aliquod verminosum septicum multiplicabile.

Pro secunda vero, & quasi præcedentis effectu diximus esse dispositionem inflam-

inflammatoriam, quasdam partes plus, alias minus occupantem, & diversa symptomata, sæpeque lethalia inducentem.

Unde indicationes exinde exurgunt. Primo: ut prædicta materia septica verminosa per appropriata antiseptica enervetur, destruatur, illiusque multiplicatio impediatur. Secundo: ut humores stagnantes in liberum circulum redigantur. Et tandem tertio: ut symptomatibus urgentioribus obviam eamus.

De prima indicatione deinde erit sermo, quia stasis inflammatoria in hoc morbo quandoque ita urget, ut nisi statim sub initium morbi hanc præ omnibus aliis respiciamus, omnibus aliis conatibus oleum, & operam perdamus. Cum enim stasis inflammatoria cerebrum, fauces, aliasque nobiles partes occupet, debemus esse solliciti, ut liber humorum per has partes circulus procuretur, quod fit primo demendo quantitatem eorum. Secundo, impetum ipsorum

rum ad partes affectas minuendo, quod fit revellendo, & derivando. Et tandem tertio humores meabiles, & fluxiles reddendo.

Præterea una eademque fidelia debemus prædictam acrimoniam ſepticam reſpicere, & pro poſſibili mitigare, atque præſentia, urgentiora ſymptomata lenire, futuraque impedire.

XLVI.

Primis indicationibus ſatisfit, ſi illico ſanguis ex pede, & in debita quantitate mittatur. Hoc modo enim ſatisfacimus & generalibus inflammationum, & noſtris de ſcarlatina indicationibus; nam hac ratione demitur exuberans humorum quantitas, minuiturque impetus eorum ad partes affectas.

Ex quo dein evenit, ut alia liquida diluentia & antiphlogiſtica facilius noſtris miſceantur humoribus, illosque meabiles, & fluxiles reddant.

Scio quidem multos celebres practicos abhorrere a venæſectione præſentibus ex-

exanthematibus instituenda, quia erroneis præjudiciis capti exanthematum retrocessum, aut retropulsum mutuant.

Verum superius in tractatu de variolis §. CXXXI. diversis observationibus, multisque gravibus autoritatibus ostendi tales vanos inanesque esse metus; quibus sequentia accedunt.

Nam in nostro casu exigit venæsectionem status morbi inflammatorius, & præceps ex neglecta, & omissa sanguinis missione vitæ periculum; quia brevissimo tempore inflammatione affectæ partes in gangrænam mortemque terminantur, quibus venæsectio in debita quantitate instituta moras injicit; ut dein ex aliis appropriatis remediis multum sperandum restet.

Sanguis venæsectione extractus præditus est crusta tenaci, lardacea eodem modo, ut in pleuritide, & peripneumonia; adeoque sicut in his casibus, adhibitis quibuscunque diluentibus, & antiphlo-

phlogisticis sine venæsectione nihil efficimus, idem dicendum erit in scarlatina.

Præterea non tantum meis, sed etiam aliorum observationibus edoctus edicere possum, quod nisi in scarlatina valde maligna quantocius sufficiens quantitas sanguinis detrahatur ægri breviſſime aut suffocentur, aut gangræna afficiantur. Quod jam aliunde ex præcedente sectione II. & §. XXI. constat.

Hoc ipsum confirmat, & corroborat sua autoritate Clariſs. Freind. Hist. med. hoc modo.

„ In variolis, morbillis, erysipelate, „ & scarlatina, si symptomata vehemen- „ tiora fuerint, si caput, aut pulmones „ vehementius urgeant, aliæque partes „ ingenti dolore supra modum affician- „ tur; ratio postulat, ut vena incida- „ tur ac tuto fieri licet. Et teste expe- „ rientia (nihil enim frequentius exper- „ tus sum) audacter affirmo, me nun-

„ quam

„ quam obſervaſſe potuiſſe, eruptiones „ iſtiusmodi ex venæſectione retroire.

Ejusdem opinionis & obſervationis ſunt plures alii, quos prætereo, practici.

XLVII.

Sed dices, certæ & evidentes celebrium practicorum obſervationes nos docent, quod ſæpe in morbis malignis, ut in ſcarlatina maligna humores noſtri corporis non ſint tenaces, viſcoſi, & cruſta lardacea donati; ſed potius diſſoluti, diffluí, omnique conſiſtentia carentes; ut in peſte Bredana, aliisque vide commentar. D. L. B. van Swieten Tom. II. p. 421. In ſimili vero caſu venæſectio debet exulare, alia vero remedia, ut incraſſantia, auſtera, & acida mineralia præſtitui debebunt.

Ad hanc difficultatem reſpondeo, quod in ſimili caſu deberemus abſtinere a venæſectione; & prædicta remedia, noſtris dein dicendis, contraria, ordinare.

Aſt

Aſt hoc monitum volo, quod tales caſus in noſtris regionibus oppido rari eſſe ſoleant, quia ad talem humorum diſſolutionem illi potiſſimum proclives ſunt, qui endemio, & hæreditario titulo craſi humorum ſcorbutica præditi ſunt, quod in noſtris regionibus oppido rarum eſt.

Ad hanc objectionem referri poteſt alia in ſcarlatina maligna obſervatio; nimirum ego ipſe aliquoties ſumma cum admiratione obſervaveram, quod vegeti & alias ſaniſſimi infantes, aut juvenes, ſcarlatina maligna correpti breviſſimo tempore cum pulſu debili, frequenti, & inæquali perquam debiles languerent; qu ex ratione hæſit mihi aqua, an in ſimil caſu ſanguis mittendus eſſet nec ne.

Sed experientia me a poſteriori docuit, quod ex celebrata venæſectione ſimiles ægri potius refocillarentur, quam opprimerentur; nam pulſus exinde fiebat æqualior, fortior, & mollior; quod de

notat

in similibus casibus vires oppressas non vero exhaustas dici debere. Ast, ut clarius, & evidentius hæc pateant, quæ communibus, & apud medicos usitatis effero terminis, opus erit, ut quædam, medicis hoc tempore nota experimenta, consideremus.

Sic experimenta nos docent, quod si nervi a pari vago, & intercostali oriundi, & ad cor tendentes ligentur, aut quacunque ratione comprimantur, motus cordis, arteriarumque langueat, & palpitet, pulsus fiat exinde necessario debilis, celer & inæqualis. Item constat, quod nervi cingantur multis, & minimis vasis, eorum partim lubricitati, partimque nutritioni inservientibus, atque nervorum ganglia constituentibus.

Si itaque in vasis nervos ad cor tendentes ambientibus fiat talis humorum stasis, tunc fibrillæ nerveæ premuntur, & comprimuntur eadem ratione, ac si ab

aliqua violentia externa premerentur. Igitur fiunt exinde omnia illa impedimenta in motu cordis, arteriarumque, quæ jam dixi, taliaque perdurant, donec prædicta ſtaſis ſolvatur.

Ad hanc vero, uti ad omnes alias ſimiles reſolvendas ſtagnationes, quod venæſectio plurimum conducat, jam probatum fuit. Unde mirum non eſt, quod in ſimilibus caſibus pulſus, qui parvus, celer, & inæqualis erat poſt celebratam venæſectionem fiat fortior, & æqualior.

Interim in talibus caſibus ſemper bene perpendendum eſſe judico, an non ſtantibus his, ſubſit jam gangræna; in quo caſu mortem, aliunde inevitabilem, venæſectio potius acceleraret, quam præcaveret; quapropter ſatius eſt in tali caſu ab omni ſanguinis miſſione abſtinere; ne medicus videatur occidiſſe illum, quem iniqua ſors ipſa interemit.

Hæc

Hac vero occasione quamvis extra omnem meæ materiæ scopum, & ordinem, admonere possum, & debeo, quod plures, quam vulgo creduntur, momentosi, & imperscrutabiles nervorum affectus, ut præcipue diversi spasmi hypochondriaci, & hysterici, a tali stasi humorum in vasis nervos ambientibus, eorumque ganglia constituentibus, dependeant; qui dein flagellum ægrorum, medicorumque dici solent.

Quod vero quantitatem sanguinis detrahendi, aut locum, ex quo mitti debeat, concernit, in tractatu de variolis maximam partem jam insinuavi.

XLVIII.

Præmissa ut jam dixi venæsectione debent alia, quæ pariter revellendo & derivando agunt, in usum vocari, talia sunt epispastica, vesicantia, quæ partibus inferioribus, aut etiam ad nucham applicari debent. Debet tamen,

ut ſuperius dixi in tractatu de variolis, præmitti ſufficiens ſanguinis detractio, ſecus plus damni, quam commodi ex veſicantibus expectandum erit.

Ad eundem ſcopum ſpectant enemata emollientia ſæpius injecta, ſive illa ſint ex diverſis ſpeciebus emollientibus, ſive ex decocto hordei, ex lacte, aut ejus ſero perinde eſt, dum modo non ſint acria irritantia.

XLIX.

Aliis vero ſupra dictis indicationibus, quæ acrimoniam & tenacitatem humorum reſpiciunt, ſatisfacimus per diluentia, temperantia, antiphlogiſtica, quæ fluxiles & meabiles humores reddunt, acrimoniamque ſepticam temperant.

Talia deſumuntur ex aquoſis, nitroſis, farinoſis, fructibus horreis, oleribus, aceſcentibus, acidis, diluentibus, humectantibus, reſolventibus, & ſaponaceis.

Qua-

Quapropter huc ſpectant radices graminis, acetoſæ acetoſellæ, ſcorzoneræ. Herbæ: ut acetoſa malva, althæa, veronica.

Farinoſa ſunt ſemina frigida. Huc etiam ſpectant: Hordeum, avena, amygdalæ, fagopyrum, milium, oryza, ſemina papaveris.

Fructus horæi ſunt: Poma citria, aurantia, poma acido dulcia, pruna dulcia, rybeſia, rubi idæi, mora, fraga & ſimilia.

Huc ſpectat lac dulce, ebutiratum, ſerum lactis. Tandem acida mineralia, ut ſpiritus nitri, vitrioli, ſulphuris per campanam, & acida vegetabilia, ut ſpecialiter acetum vini.

Ex his poſſunt componi multifariæ remediorum formulæ; nimirum: Decocta, infuſa, extracta, emulſa, hydrogala, ſyrupi, julapia, rob, balnea, vapores, fomenta, clyſmata, & ſimilia.

Qui vero plura in eodem genere remedia desiderat, legat materiam medicam, & remediorum formulas venerandi Hermani Boerhavii, & Clariss. D. Davidis de Gorter.

L.

Superius in indicationibus formandis dixi, quod primo illud miasma contagiosum septicum deberet destrui, ejusque multiplicatio impediri. Verum quia ad hæc usque tempora ignoramus, talia specifica, quæ miasmati contagioso scarlatinæ directe oppositа essent, sic hæc fuit una ex rationibus, quod nunc primo huic indicationi satisfaciam, cui primo satisfacere debuissem.

Quantum autem ex repetitis eruditissimorum practicorum observationibus nobis constat, habemus universale antisepticum in cortice peruviano, qui in omnibus morbis contagiosis malignis præ omnibus aliis remediis hucusque inventis,

tis, efficaciſſimus deprehenſus eſt, in quantum acrimoniam illam ſepticam temperat, illiusque ulteriorem multiplicationem impedit.

Aſt in illis morbis malignis, qui cum aliqua inflammatoria diſpoſitione conjuncti ſunt, ut variolæ, & ſcarlatina, obſervationes docent, quod non conveniat, niſi prius inflammationi per miſſionem ſanguinis perſpectum ſit; atque hæc & quidem princeps fuit ratio, quare in ſcarlatina primo de inflammatione, dein vero de ejus acrimonia ſeptica ſollicitus fuerim.

LI.

Quod vero cortex peruvianus in ſcarlatina maligna ſit ſpeciale remedium, optimumque antiſepticum habemus ex obſervationibus celeberrimorum medicorum. Hoc videre poſſumus apud Mortonium capite V. de febre ſcarlatina in hiſtoriis IV. V. VII. VIII. IX. & X.

Idem sentit Eruditissimus, & Magnificentissimus D. Archiater Cæsareus de Haen.

Qui plura hac de re legere cupit, inveniet in nostro tractatu de variolis, & in nostris sequentibus observationibus.

Ast hic objici posset: quod effectus aliquis a cortice vix sperari possit, nisi hic in debita, & sat magna quantitate assumatur, quod in scarlatina fieri non potest, quia in deglutitione difficultas quandoque tanta est, ut vix liquida deglutiri possint; adeoque talia proposita remedia sunt de subjecto non supponente.

Ad hoc respondeo, quod in simili difficili casu alia ratione procedendum sit. Nimirum debet corticis extractum, aut ejus sal methodo Gareana præparatum in aqua appropriata solutum, sicque in parva dosi, & sæpius exhiberi; qua ratione non tantum facilius assumi poterit,

sed

sed & remedii major efficacia, non obstante minore quantitate, compensabit illam magnam quantitatem corticis in substantia assumendi.

Præterea poterit ex cortice, & aliis speciebus emollientibus saturatum decoctum confici, & exinde clysma sæpius injici; sic enim fiet, ut magna similis decoctionis virtus per vasa absorbentia bibula ad massam humorum feratur, & eundem ac si per os assumpta fuisset, exerat effectum.

Hoc confirmant alia experimenta, quibus constat ex enematibus nutritivis corpus diu nutriri posse. Item experimenta nos docent, quod per saturatas chinæ chinæ decoctiones sæpius injectas, febres eodem modo curari possint, ac si hoc remedium per os assumatur.

LII.

Tandem posset quisquam contra nostras superius de scarlatina factas indica-

tiones opponere dicendo, quod in morbis præcipue malignis exanthematibus prima & princeps indicatio debeat esse, ut materia maligna exanthematica pellatur a centro ad peripheriam corporis; de qua apud nos altum semper fuit silentium.

Ad hanc objectionem respondeo, esse quidem in morbis præcipue acutis vulgarem opinionem, & indicationes, ut miasmata maligna a centro pellantur ad peripheriam; in quem finem solent etiam præstitui remedia vulgo dicta expellentia alexipharmaca, camphorata, aliaque salibus volatilibus prædita, sed proh dolor! quanto cum ægrotantium detrimento? quia sic motus febriles augentur, fit exinde materiæ morbificæ, quam ad peripheriam pellere intendimus, raptus ad cerebrum, aut ad alia nobiliora viscera depositio; unde dein sopor, delirium, phrenesis, convulsiones; quinimo

imo exanthemata ipsa adipiscuntur exinde naturam, indolemque perniciosiorem; verbo: morbus de indole sua benignus fit hac ratione malignus. Quod ipse Expertissimus Sydenham de scarlatina benignissima asserit: *Si plus negotii ægris facessamus, vel lectulis continenter incarcerando, vel cardiacis, aliisque remediis supervacaneis, nimis doctæ, & ut vulgo dicitur, secundum artem, supra modum ingestis; morbus statim intenditur, & æger non raro nulla alia de causa, quam nimia medici diligentia ad plures migrat.*

Ista perversa materiam exanthematicam a centro ad peripheriam pellendi methodus, videtur præcipue in eo fundari, quod credantur talia exanthemata, quasi critice hoc modo ad habitum corporis tendere; quia videntur quandoque ægri exinde quasi alleviari. Sic enim videmus, quod facta variolarum eruptione anxietates, inquietudines, convulsiones, alia-

aliaque turbulenta ſymptomata ſedentur, aut ſaltem mitigentur, idem obſervamus in pleuritide, & peripneumonia laborantibus; quales morbi, ſi debito tempore non diſcutiantur, humores ita corrumpunt, ut dein exanthemata illis ſuperveniant, antequam vero hæc ſuperveniant adeſt ſumma inquietudo, anxietas, quandoque etiam delirium, quæ omnia dein mitigantur, ægerque reſipiſcere videtur, dum exanthemata ſuperveniunt; cum itaque obſervationibus conſtet, ægros in morbis acutis ex eruptione exanthematum alleviari, indicationes fieri debent, ut talia a centro ad peripheriam pellantur.

Ad hoc reſpondeo, quod terminos artis debeamus in ſenſu proprio, & ſtricto aſſumere, adeoque, quid proprie ſit criſis in morbis acutis, ex iisdem fundamentis explanare; ex quo dein clare videbimus; quod tales objectiones multis imponere poſſint. Criſis enim in morbis acutis

ſtri-

ſtricte ſumpta juxta omnes medicos eſt ille ſtatus morbi, qui facta cauſæ morbificæ per unam alteramve viam evacuatione, morbum ſolvit, unde dein ſequitur notabilis, & permanens ægri alleleviatio; denique ut æger exinde in vado conſtitutus dici poſſit.

His tanquam evidentibus artis principiis præſuppoſitis, omnes præſertim vero celebres practicos in teſtimonium peto, an illi ægrum, qui expulſis ad peripheriam variolis melius habere videtur, extra periculum conſtituere poſſint? Item an ille v. g. pleuriticus, cui die morbi nona aut undecima exanthemata ſuperveniunt, in vado conſtituendus ſit? triſtis enim, & fere quotidiana experientia nos contrarium docet. Adeoque ſignum evidentiſſimum eſt, quod talia exanthemata nunquam ad criſim perfectam, raro ad imperfectam, melius vero ad acriſiam reduci debeant.

LIII.

LIII.

Hæc eſt, quam hucuſque explanavimus generalis ſcarlatinæ malignæ medendi ratio, ſupereſt, ut quædam in particulari de urgentioribus ſcarlatinæ ſymptomatibus breviſſime attingamus, qua nimirum ſalutari methodo illis obviam eundum ſit.

Princeps & urgentiſſimum ſymptoma dixi in ſcarlatina maligna eſſe inflammationem faucium, quandoque etiam cerebri. Quare in ſimilibus caſibus præter generalia, ſuperius jam recenſita remedia debent ordinari gargariſmata & injectiones ex emollientibus, & demulcentibus in Tractatu de variolis §. CVIII. jam recenſitis; quibus ſtatim a principio morbi addi poterunt illa, quæ virtute ſua tonica, & demulcenti (abſint tamen omnia acria, & calefacientia) majorem ad prædictas partes affluxum impediunt, qualia ſunt Rad. tormentillæ, biſtortæ, ſemi-

semina psylii cydoniorum, aliaque similia.

LIV.

Præterea, quia experientia nos docet, quod si inflammatio faucium anginosa ad extra vergat, minus affligat, minusque periculum portendat, debebimus fomentationes, cataplasmata ex iisdem emollientibus in lacte coctis tepide circa collum applicare, ad hoc ut prædictus inflammatorius tumor ad externas potius partes avocetur. Hanc fuisse Divi Hippocratis regulam legere possumus in Aphoris: 37. sect. VI. & Aphor. 49. sect. VII. ubi sic ait: *ab angina detento, tumorem fieri in collo, bonum: foras enim morbus vertitur.*

Idem quoque videre est apud Corn. Celsum Lib. IV.

Item ex eodem fundamento judicat vetustissimus medicus Aretæus, quod *in*

an-

angina cucurvitula externe applicata *in pectus*, ut asserit, *malum detrahat.*

LV.

Huc etiam spectat ille status inflammatorius, qui infantibus non tantum scarlatina, sed etiam dentitione laborantibus communis est, & in quo, inflammatis gingivis, faucibusque, regressus sanguinis per jugulares ex cerebro, ejusque sinubus impeditur, unde similes infantes phrenesi, & convulsionibus prehenduntur. In quo conclamato fere casu, nisi sanguisugæ post aures applicentur, ex aliis remediis vix aliquid sperandum restat, hoc vero in tractatu de variolis §. CXVII. fusius explanavi, quare nunc hujus nihil ultro meminerim.

LVI.

In scarlatina præsertim maligna affligunt sæpe inquietudines, & vigiliæ continuæ, in quo casu paregoricis, anodynis,

nis, emulsisque quies & somnus conciliandus erit.

Eadem remedia conveniunt etiam ad attemperandum illum ardorem §. VII. qui quandoque in habitu corporis valde molestus esse solet.

Sed omnibus diluentibus, emollientibus, demulcentibus, & emulsis præferri debet hydrogala, de qua in tract. de variolis fusius tractavi.

Hoc enim remedio, non tantum humores fluidi, & meabiles redduntur, acrimonia, & ardor temperantur, sed vel maxime dolor faucium demulcetur, & corpus leniſſime nutritur. Si vero serum lactis magis arrideret, poterit hydrogalæ substitui.

SECTIO VIII.

Periodum, seu stadium scarlatinæ secundum nimirum illum tumorem leuco-phlegmaticum una cum ejusdem curatione sistit.

LVII.

Iste leucophlegmaticus tumor, qui scarlatinam ut §. VII. dixi, sæpe sequitur, est majoris quandoque momenti, quam scarlatina ipsa. Etenim non tantum facies, manus, pedesque, sed & abdomen, scrotumque, immensum tument; urina secedit pauca, & plerumque cruenta, aut loturæ carnium similis, fœces alvinæ sunt albæ, & pultaceæ, tussis adest sicca, quandoque sat violenta & respiratio laboriosa; corpus est languidum, ponderosum, vixque mobile. Vasa serosa, & lymphatica mirum in modum tument, & tenduntur; unde si appropriatis remediis quantocius opem

non

non feramus, hæc dilacerantur, & fit humorum sive ad cerebrum, sive ad cavitatem thoracis, aut abdominis, extravasatio; sicque malum immedicabile redditur.

Quare medentes duplex in hoc morbo officium tenet. Primum est, ut quantum ars valet, studeant, hunc funestum tumorem hydropicum præcavere. Alterum vero in eo consistit, ut præsentem tumorem tollant, & aliis inde pendentibus, molestisque medeantur symptomatibus.

LVIII.

Superius §. XXXVII. dixi, quod miasmata scarlatinæ soleant petere, & obsidere præcipue partes corporis molles, & glandulosas; ut membranam cellulosam, os internum, aliquando parotides, glandulas axillares, inguinales; quæ tument, & inflammantur. Ex quo dein fit, ut dissipata jam scarlatina, & discusso prædicto tumore inflammatorio

prædictæ partes laxæ, & debiles fiant; unde dein exurgit, ut si tales ægri non rite transpirent, humores in illis colligantur partibus, sicque tumori illi leucophlegmatico viam sternant; qui dein facilius contingit, cum ex peracta jam decorticatione prædictæ partes eo facilius tendantur & in tumorem eleventur.

Adeoque præprimis solliciti esse debemus, ut tales ægri, quamvis superata jam scarlatina, in vado esse videantur, in debita transpiratione maneant; quod fit liberum vitando aëra; superficiem corporis linteis, pannisve laneis siccis, & fumo aliquo aromatico imbutis, sæpius & leniter fricando; decocta, aut infusa ex veronica, betonica, rad. graminis, petroselini, aliisve, calide hauriendo; tandem partes solidas roborando; unde fiet ut humores serosi non tantum per transpirationem exhalent, sed etiam per urinam copiosiorem evacuentur.

tur. Obſervavi, quod infuſum baccarum juniperi huic intentioni præ omnibus aliis ſatisfaciat.

Scio quidem, & prævideo, quod mea conſilia de vitando aëre libero, aut de ægris in lecto detinendis, multis inexpertis parodoxa videbuntur; interim ſufficiat dicere, quod experientia edoctus hæc ſcribam, hæc ſentiam.

Præterea, quamvis ſuperata ſcarlatina, appetitus ſæpe jam vigeat, curandum tamen eſt, ut certas diætæ regulas obſervent ægri, ut nimirum talia ingerant, quæ facile egerere poſſint.

Ultimæ vero indicationi, quæ eſt, ut partes ſolidæ roborentur, ſatisfacimus optime per lenia martialia, & rhabarbarina v. g. per tincturam rhei aquoſam cum tinctura mortis pomat: Quæ ſi rite obſerventur, ſperandum eſt, fore, ut ſtatus ille hydropicus præcaveatur.

LIX.

Verum quandoque contingit, ut omnibus adhibitis cautelis, nihilominus ſolito alias tempore tumor ille leucophlegmaticus ſuperveniat, novumque vitæ periculum, quo jam liberi credebamur, afferat.

In ſimili igitur caſu indicationes eſſe debent primo, ut humores ſeroſi plus aut minus viſcoſi incidantur, attenuentur.

Secundo, ut per convenientes vias evacuentur.

Tertio, ut partes ſolidæ roborentur, ac tandem ut ſymptomata urgentiora mitigentur.

Primæ & ſecundæ indicationi ſatisfit per omnia ſalia fixa, tam alcalina, quam neutra, aut etiam acida; qualia ſunt: ſal abſynthii, cardui benedicti, liquor terræ foliatæ tartari, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, ſal polychreſtum, tartarus ſolu-

lubilis, chryſtalli tartari, & multa alia ejusdem generis, quæ, vel in forma pulveris, vel aliquo ſoluta liquore propinari poſſunt: his enim non tantum illud, quod viſcidum eſt, inciditur, attenuatur, ſed ſimul etiam partim per alvum, partim per urinam evacuatur.

Porro huc ſpectant alia aperitiva, ut radices graminis, petroſelini, ononidis, eryngii, fœniculi, aſparagi, & alia ejusdem generis remedia, quæ cum ſupradictis ſalibus decocta, clarificata, & cum oxymelle ſcillitico, aut ſyrupo de duabus radicibus, edulcerata, calide ſæpius ad unam alteramve unciam pro diverſa ratione ætatis exhiberi poſſunt.

Propter ſpecialem vero virtutem ſolventem, & diureticam huc referri debent: ſcilla, & aſelli, ſeu millepedes.

Scilla exhiberi poteſt in ſubſtantia ſed melius in infuſione, aut in extracto, aut ejus oxymel ſcilliticum.

Millepedæ vero ſummam habent vim, ſi vivæ contundantur; earumque ſuccus expreſſus in uſum vocetur. In quem finem ſequens aut aliqua fere ſimilis, mixtura mihi in ſimilibus morbis familiaris eſſe ſolet.

℞. Aquæ ſtill. petroſelini unc. V. ſpirit. ſalis coagulat. ſucci aſellorum aa. dr. III. Oxymell. ſcillit.

Syrupi de duabus rad. aa. unc. I. Miſce.

De hac mixtura debet æger ſæpius unum, alterumve cochlear aſſumere, & unam, alteramve ſcutellam infuſi baccarum juniperi, aut alicujus decoctionis ex ſupradictis radicibus aperitivis factæ, calide ſuperbibere.

Ex uſu hujus remedii non tantum urina copioſior redditur, ſed & levis diarrhæa excitatur, quæ ſi non ſuccedat, debet alvus clyſmate emolliente, & ſalino ſollicitari.

In

In eundem usum inserviunt, & conducunt illa apochylismata, seu Rohob, ut ebuli, juniperi, sambuci, & de spina cervina, quæ cum supradictis remediis misceri, iisdemque addi possunt.

LX.

Tandem, dum omnia prædicta, aut alia similia remedia imparia sunt pertinacissimo huic tollendo malo, quærendum est aliud in mercurio, & auro quod in his, aliisque similibus extremis morbis inventum est, præsentaneam ferre opem.

Tale remedium, quod in pilularum aut alia forma præstitui potest, est sequens: v. g.

R. Rhei electi
Spirit. salis coagulati aa. dr. II.
mercurii dulcis
Auri fulminantis
Extract. Scillæ aa dr. ß

M. fiant pilul. c. Rob juniperi pondere unius alteriusve grani, quæ foliis auri aut argenti obvolvi & obduci possunt.

Quod vero usum hujus remedii concernit, sequentia notanda sunt.

Primo, quod una alterave harum pilularum omni bihorio, aut trihorio pro diversa ætatis, aliarumque circumstantiarum, ratione exhiberi debeat, quam dosim tres quatuorve sedes quotidie sequi debent, quæ, si non succedant, tunc vel earum dosis debet augeri, vel prædictis pilulis Magisterium mecoacanæ, aut diagridium sulphuratum, aut pilulæ cochiæ addi possunt. Qua ratione dein salivatio impedietur. Quare

Secundo, ut eo certius salivatio impediatur debet æger post assumptas pilulas bibere calide aliquot uncias infusi baccarum juniperi aut decocti radicum graminis. Item

Ter-

Tertio, poſtquam bidui aut tridui his pilulis uſus fuerit, debet ab earum uſu una, alterave die abſtinere.

Quarto ſi ab uſu hujus remedii nimiæ turbæ in corpore concitari videantur, poterunt tales ſopiri remediis paregoricis.

Tandem ſi in his, aliisque ſimilibus affectibus notabilis febris adſit, debemus ab uſu hujus remedii abſtinere; quia timendum eſt, ne exinde febris augeatur; in quo caſu alia ſuperius recenſita remedia, ut ſuccus aſellorum cum ſale polychreſto, aut nitro antimoniato in uſum vocanda erunt.

Ab uſu prædicti remedii intra unam alteramve diem ingens copia ſeri, tam per urinas quam per alvum evacuari ſolet; ex quo abdomen prius tenſum, & tumidum, una cum aliis corporis partibus collabeſcet, & flacceſcet, breviſſime; quod ut eo facilius obtineamus,

&,

&, ut partes laxæ & flaccidæ roborentur, debent sæpius pannis laneis fumo aromatico imbutis perfricari.

Hoc remedium fuit a secretis Magnifico, mihique æterna memoria colendo Domino Doctori Weber de Fürnberg, quo in diversis pertinacissimis & rebellibus morbis chronicis summo cum levamine utebatur. Adeoque non tantum in cachexia, leucophlegmatia, & hydrope sed & in contumacissima alvi & urinæ obstructione, si inflammatio aberat, illud in usum vocabatur.

Item in catarrho suffocativo, in asthmate humoroso, ubi chermes minerale, sulphur antimonii tartarisatum, scilla, gummi ammoniacum, aliaque, alias efficacissima remedia, inertia erant, aurum fulminans cum uno alterove grano mercurii dulcis, præsentaneum erat remedium.

Qua

Qua de re, ut alios prætéream memini memorabilis casus, qui 18. circiter ante annos Illustrissimam Aulicam Domicellam L. B. de Kleng Augustissimæ piæ memoriæ Imperatricis Amaliæ perquam familiarem concernebat.

Hæc corripiebatur asthmate humoroso, orthopnæa dicto; nam nec in lecto jacere, nec respirare, nec loqui potuerat; facie totoque corpore mirum in modum intumuerat; denique ex omnibus quæ aderant signis morti proxima videbatur. Clysmata stimulantia, & derivantia, vesicatoria, scilla, sulphur antimonii tartarisatum, sal volatile oleosum sylvii, aliaque valentissima remedia, inanes erant medentium conatus. Tandem ex consilio præfati Magnifici D. Weber de Fürnberg præstituebantur pulvisculi ex auri fulminantis gr. VIII. mercurii dulcis gr. III. sachari finiss. gr. XII. sæpius, vide-

videlicet, prout neceſſitas urgeret, omni bihorio, aut trihorio propinandi.

Hora vix elapſa poſt aſſumptam primam doſim, exhibebatur ſecunda, quam paulo poſt ingens copia excrementorum, maximam partem, ut ab auro fulminante fieri ſolet, nigrorum, notabili cum ægrotæ levamine ſequebatur; ex cujus remedii dein, quamvis parciore manu, continuato uſu perfecte convaluit. Hæc ego tanquam teſtis ocularis, & ægrotanti diu noctuque aſſiſtens attuli & expoſui.

Hujusmodi, ut ſuperius dixi, caſus multos habuimus, in quibus ex prudenti hujus remedii uſu ſecundos experti fuimus effectus. Scio, aurum fulminans a quibusdam, ſed theoreticis, pro draſtico haberi; verum in ſimilibus caſibus conſulendi ſunt practici; ut Frid. Hoffman, Stalius, Necterus, Ettmüllerus, aliique quam plurimi.

Aſt

Aſt manum de tabula; & illa, quæ noſtri ſcopi ſunt, proſequamur.

LXI.

Multi practicorum conſiderantes, habitum corporis eſſe tumidum, credunt ſatius, & convenientius agi, ſi ſerum illud per breviorem viam, nimirum per auctam tranſpirationem, & per promotos ſudores evacuetur.

Ad hoc reſpondeo, quod talis tumor ſuam ſedem, & radicem non tantum in cute, ſed in viſceribus, aliisque membranoſis, & muſculoſis partibus habeat; qua ex ratione, & confirmante id experientia affirmo, quod ægri ex hac methodo non melius, ſed pejus habeant; ſubtiliora diſcutiuntur, craſſiora vero viſceribus magis impacta hærent, eaque corrumpunt.

Quapropter in ſimili caſu melius, & ſecurius agimus, ſi prædicta aperitiva,

va, attenuantia, diuretica, aliaque superius recensita, in usum vocemus.

Interim superius jam insinuavi, quod etiam illa, quæ seri stagnantis discussionem, & diflationem per cutem augent, conveniant, & curationem coadjuvent, cujusmodi sunt frictiones. Item nec absonum erit, quandoque prædictis decoctis aperitivis, & diureticis addere aliquid specier. decocti lignorum, sic enim fiet, ut una eademque fidelia humores stagnantes per diversa emunctoria evacuemus.

LXII.

Quando prædictus tumor leucophlegmaticus discuti, & subsidere incipit, partes corporis, præsertim abdomen, quæ prius tumidæ, & tensæ erant collabescunt, & relaxantur. Quapropter in hoc statu solliciti esse debemus, ut alteri satisfaciamus indicationi, nimirum ut roboremus, naturalemque partibus

bus tonum conciliemus; quod obtinemus per ſupradictas frictiones, per remedia tonica, rhabarina, amaricantia & infuſa vinoſa cum marte.

LXIII.

Hucuſque ſtudium noſtrum erat, ut indicationibus, quæ totius corporis tumorem reſpiciunt, generaliter ſatisfaceremus; ſupereſt, ut pariter medelam illorum ſymptomatum, quæ præſente tali tumore plurimum affligunt.

Duo ſunt inter cætera, quæ hoc tempore magna medici cura, & attentione digna ſunt. Primum, eſt ſopor, ſeu comatoſus affectus, qui denotat, ſeroſam colluviem, ſive intra, ſive jam extra vaſa in cerebro hærere & reſtagnare. In quo caſu præter ſuperius jam recenſita remedia, veſicantia, præſertim nuchæ applicanda ordinari debent. Quinimo, ſi morbus, & coma exigit, capiti raſo apponi debent.

Contingit tamen quandoque, ut cum tali comatoso affectu notabilis febris, & delirium conjungantur, quod denotat meniges, cerebrumque inflammata, convulsiones, gangrænamque metuendam esse.

In tali extremo casu præter jam dicta, sanguis in debita quantitate, sed præcipue sanguisugis post aures appositis, extrahendus est.

LXIV.

Aliud molestissimum malum, quod tali tempore affligit, est ingens scroti tumor hydrocele, seu hydrops scroti appellatus, quem sæpe talem vidi, ut caput magnitudine, & amplitudine excederet; in simili casu fit, ut gravitate & pondere scroti vasa spermatica, nervique ex osse sacro oriundi tendantur, & doleant, præcipue dum æger situm rectum obtinet; quod incommodi genus sustentaculo, quo scroti pondus sustineatur, leniri potest.

Tu-

Tumor iſte ſedem habet, non tantum in duplicatura membranæ muſculoſæ dartos dictæ, ſed occupat etiam tunicas, teſticulos ambientes; quin imo penis ipſe, præſertim ſub initium hujus affectus, una cum præputio intumeſcit, ſicque exitum urinæ intercipit.

Quando vero ſcroti tumor augetur, tunc penis ipſe retrotrahitur, & intra hunc tumorem abſconditur; in quo caſu uretra comprimitur, & exitus urinæ impeditur.

LXV.

Quapropter in ſimili moleſtiſſimo ſtatu omnem operam impendere debemus, ut humores hic ſtagnantes revolvamus, diſcutiamus, & evacuemus. Ac tandem his peractis prædictas partes laxas & flaccidas roboremus.

Primo ſcopo inſervire poſſunt herbæ: Ruta, calamith. mont. hyſſopus, chæ. refol. Flor. ſambuci, meliloti, verbaſci, chamæm. aliaque ſimilia, quæ, prout

plus aut minus resolvere volumus, in lacte aut in aqua aut vino coqui, calidiuscule per modum fomenti scroto applicari, & sæpius renovari debent.

Prædictorum virtus resolvens augeri potest, si in illis quidquam de sapone, aut de sale armoniaco, aliove simili, dissolvatur.

Verum quæcunque etiam valentissima remedia externe adhibeas, nihil proficies, nisi quoque per interna superius recensita radicem mali tollas; quod, si feceris, efficies, ut externa internis remedia, & vicissim opitulentur.

Quapropter, dum tumor scroti, aliarumque partium subsederit, debebimus laxitati, & atoniæ membranarum scroti mederi, quod fiet per fomenta sicca, sive ex supradictis herbis, & floribus, sive etiam ex aliis cephalicis, confecta, & scroto appositа.

Huc

Huc etiam referri debent fumi aromatici, item aqua calcis, quæ cum ſufficiente quantitate ſpiritus vini camphorati, aut ſpiritus Burrhi, aut noſtræ aquæ anodynæ, miſceri & duplicatis linteis calidiuscule applicari poterit.

Hæc ſunt, quæ mihi ratio dictavit, experientia vero repetitis vicibus confirmavit, tam in primo, quam in ſecundo ſcarlatinæ ſtadio eſſe proficua remedia. Meliora necdum vidi, necdum legi; meliora vero in poſterum ab aliis expecto.

SECTIO IX. ET ULT.

Adjunguntur particulares quædam de Scarlatina obſervationes, & annectuntur de eisdem annotationes.

LXVI.

Ægrotus I.

Puer hujatis civis filius, nonum circiter agens annum; 1753. primis diebus

Aprilis videbatur aliquantum languere, neque ſolita aviditate cibos expoſcere, & edere.

Interim tamen noctu ſat placide dormiebat, interdiu circumambulabat, cum aliis ſibi paribus ludebat quidem, ſed non ea, ut ſolebat, facilitate & alacritate.

Die circiter tertia maculæ rubræ in facie apparebant; verum quia puerulus de ſpeciali aliquo incommodo non conquerebatur, parentes flocci faciebant hæc exanthemata, credentes talia brevi diſſipatum iri.

Die vero inſequente, ſeu die circiter quarta morbi, eadem non tantum in facie, & collo frequentiora, ſed & per reliquam corporis ſuperficiem jam diſperſa erant. Unde ego advocatus, poſtquam omnia rite explorarem, renunciavi, hanc eſſe ſcarlatinam benignam; nam pulſus videbatur eſſe naturali ſimilis, æger poſt eruptionem exanthematum magis appetebat pla-

placidius dormiebat, magisque hilaris videbatur.

Die ab eruptione tertia, & a morbo, quinta, mane dum ægrum inviserem, vidi faciem reliquumque corpus intense rubere, palbebras, angulosque paululum tumere.

Die morbi sexta maculæ in facie palleſcebant, & tandem die septima fere omnes evanuerant; sicque morbus terminabatur sine omni desquamatione, & sine omni molesto symptomate; neque tardius aliquod malum consectarium observaveram.

Æger toto morbi tempore non utebatur alio remedio, quam infuso ex scabiosa, cui addebatur aliqua portio lactis vaccini, & debita quantitas sacchari.

Præterea, cum tempestas frigida, & humida eo tempore urgeret, curavi, ut non tantum tempore exanthematum, sed etiam aliquot diebus tardius in lecto sedens, aut cubans, stragulis, quibus sa-

nus asuetus erat, coopertus, conservaretur æger.

Hujuscemodi casus quam plurimos habui, a quorum recensione abstineo, cum hicce servire possit pro omnibus aliis; in quibus fere eadem ratio medendi semper fuit.

LXVII.

ANNOTATIONES
ad Ægrotum I.

Hicce casus explanat, & demonstrat communem, & ordinarium scarlatinæ benignæ decursum, progressumque.

Interim ex hoc casu possunt duo, quæ forsan non omnibus arridebunt, corrollaria deduci; & quidem.

Primum, quod non semper, ut alii scribunt, scarlatina, sicut morbilli, cum desquamatione, terminetur. Ex quo alterum fundamentum contra Clar. Mortonium

nium ſcarlatinam a morbillis diſtinguendi deſumi poteſt.

Secundum, quod quandoque, quamvis raro, eruptio exanthematum critica dici poſſit; hoc enim de ſcarlatina benigna, & quidem illa, intelligendum eſſe judico, quæ a motibus lentis, naturæ conformibus, non violentis, dependet; quia hoc modo illud, quod heterogeneum in corpore latet, facilius, aptiusque ſubigitur, ſeparatur, & ad convenientia emunctoria deducitur; quod a motibus violentis, quacunque ex cauſa in corpore noſtro excitatis, ſperandum non eſt; quinimo, uti jam ſuperius §. LII. & ex obſervatione Sydenham dixi, morbus de natura ſua benignus hac ratione malignus evadit.

LXVIII.

Ægrotus II.

Infans quinque fere annos natus belle edens, & dormiens mane dum evigilaret, tota vix non facie rubebat; parentes exinde attoniti me advocarunt, & quid iſthæc efflorescentia ſignificaret, ex me poſtularant.

Ego inveni pulſum bonum, infantem hilarem, uti & alia, ſtatum ſanum referentia. Ad tactum tamen cutis præſertim in facie, calebat, & videbatur ardor quidam externus ægro moleſtus eſſe.

Unde ſine hæſitatione declaravi, hæc exanthemata referenda eſſe ad ſcarlatinam benignam.

Eventus dein reſpondit promiſſis; nam morbi hujus ſequens erat decurſus.

Die ſequente, ſeu ſecunda ſcarlatinæ rubebat intenſe non tantum facies, collum, ſed & aliæ corporis partes; facies

ſub-

ſubtumida apparebat; æger de quodam ſed præcipue oculorum ardore conquerebatur, neque lucem ſine incommodo ferre poterat. Cætera ſomnus, & appetitus aderant, ut die præcedente.

Die tertia videbantur omnia eſſe vix non in eodem ſtatu, ut die præcedente; niſi quod ad finem vergente eadem die exanthemata in facie, quæ prius intenſe rubebant, pallidiora apparerent.

Die quarta palleſcebant quoque alia, reliquum corpus occupantia exanthemata.

Die quinta in facie vix quidquam ſcarlatinæ apparebat.

Die ſexta, & ſeptima totum corpus erat ab exanthematibus liberum, quibus ſucceſſit deſquamatio illi, quæ in morbillis eſſe ſolet, ſimilis. Hoc tempore videbatur æger pariter quoad omnes functiones, tam animales, quam vitales, & naturales bene valere, in quo ſtatu etiam in poſterum permanſerat.

Toto

Toto morbi tempore non utebatur alio remedio quam sequente mixtura:

R. Aquæ sambuci unc. V.
Rob sambuci.
Syrupi de althæa aa unc. I.

misc. de qua omni hora, aut omni bihorio, unum alterumve cochlear sumpserat; & infusum ex scabiosa, superbiberat.

Præterea æger in debita transpiratione, & moderato calore conservabatur, & detinebatur.

LIX.

ANNOTATIONES
ad Ægrotum II.

Hoc singulare hicce casus docet, quod una cum morbo, & sine præcedente aliqua sensibili exacerbatione exanthemata scarlatina in conspectum venerint; quod aliquoties, quamvis raro, in scarlatina vidi.

Ve-

Verum nemo mirabitur, qui experientia noverit, quod idem etiam in variolis evenire quandoque ſoleat. Plura vide Sect. IV. §. XXXVI. ubi leges illam particularem obſervationem, qua plures cætera ſaniſſimi quaſi momentanee obruebantur exanthematibus ſcarlatinis, aut ſaltem ſcarlatinam referentibus.

Item ex hoc, & præcedente caſu eruere poſſumus, quod exanthemata ſcarlatina quædam citius, alia tardius diſſipari, & evaneſcere ſoleant; nam quædam citiſſime, nimirum tertia ab eruptione die, ut plurimum vero quarta, quinta, aut ſexta, raro tardius, diſſipantur.

LXX.

Ægrotus III.

Alius puer octo circiter annos natus 1756. primis diebus Junii corripiebatur pariter ſcarlatina benigna, quæ quinta cir-

circiter ab eruptione die cum subsequente aliquali desquamatione dissipabatur.

Cum eo tempore tempestas calida vigeret, sic æger iste, tam tempore efflorescentiæ quam vel maxime post illam interdiu a lecto abstinebat, & liberiori auræ se exponebat. Quo non obstante nihilominus bene valere videbatur.

Verum elapsis vix duabus a dissipata scarlatina hebdomadis inceperat toto corpore tumere; nimirum primo in facie, dein in manibus, & pedibus; item abdomen, & scrotum in sat magnam molem excreverant. Urina secesserat pauca, & crassa cum sedimento albo; alvus erat adstricta, appetitus, qui prius semper vigebat, inceperat deficere.

Quamprimum ad hunc affectum leucophlegmaticum advocatus eram prima cura mihi fuit, ut superius §. LIX. recensitis remediis incidentibus, attenuantibus, aliisque aperitivis, diuretis, &

per

epicraſim evacuantibus uteretur æger: unde ordinaveram primo mixturam ex aquæ ſtillat. Petroſelini unc. IV. ſpirit. ſalis coagulat. drag. III. ſyrup. de cihor. c. rheo unc. I. de qua omni bihorio, duo aut tria cochlearia ſumeret æger, & quam nychthemeri ſpatio conſumeret.

Hoc remedio utebatur ſex diebus, ſed ſine notabili commodo; nam tumor præſertim in facie videbatur potius augeri, quam minui, neque urina majore, quam alias quantitate evacuabatur, neque alvus niſi clyſmate ſollicitaretur, reſpondebat.

Quare mirabar; quod hoc remedium quotidie tali doſi ſumptum, in hoc caſu, illo, quem tamen in aliis ſecundum expertus ſum, effectu, fruſtraretur. Interim non abs ratione judicabam, quod, quamvis hoc remedio materiam peccantem non evacuaverim, tamen digeſſerim, & præpararim, ut dein eo facilius aliis valentioribus cedere poſſit remediis.

Qua-

Quapropter ordinabam infusionem rad. scillæ cum rad. asparagi, petroselini, & tartaro vitriolato, factam, & cum syrupo mannato aut flor. persicorum edulcoratam, de qua sæpius de die aliquot cochlearia sumpserat ægrotus.

Ex usu hujus remedii prima die factum est, ut ternis vicibus magnam materiæ viscosæ quantitatem evomuerit; & hunc effectum sequeretur alter, nimirum, aliquot de die sedes, copiosiorque urina.

In usu hujus remedii persistebat æger, ita tamen moderando, ut bis terve nychthemeri spatio alvus aperiretur; qua ratione magna seri copia non tantum per urinas, sed etiam per alvum evacuabatur.

Hoc ipso tempore curabam scrotum valde tumens sustentaculo fulciri, & fomentationes calidas ex superius §. LXV. descriptis carminativis, in vino coctis eidem applicari, sæpiusque renovari.

Qui-

Quibus dein effectum est, ut non tantum facies, artus, sed etiam abdomen, & scrotum, successive detumescerent, & spatio quindecim circiter dierum statum naturalem adipiscerentur, ægerque appetitum, somnum, vires, denique sanitatem perfectam consequeretur.

Tandem ad tonum naturalem tam generi vasculoso, quam nervoso, & membranoso conciliandum utebatur æger per decem circiter dies tinctura rhabarb. Rolfincii.

LXXI.

Ægrotus IV.

Eadem sinistra sors attigerat 1760. filiolum Illustriss. L. Baronis de Wenser, sex circiter annos natum; hic enim in Augusto scarlatina benignissima laborabat; hæc sine omni desquamatione terminabatur.

Cum integerrima sanitate videretur gaudere filius, & tempestas ipsa calida quam optime faveret, sic non tantum domi libero se exponebat aëri, sed etiam

domo exibat, atque hujus urbis pomœria auræ liberioris captandæ causa adibat.

Die circiter decima nona a morbo videbatur lassus, languidus & pallidus, dein sequebatur tumor in facie, manibus, pedibus, abdomine, scroto ac in universo corpore; qui de die in diem magis augebatur, ut huic similem haud quaquam viderim.

Quare in simili inexpectato & periculoso statu ordinabam primo prædicta salia aperitiva, diuretica, & per epicrasim evacuantia.

Alvus sollicitabatur sæpius clysmate ex decoctione specier. Dec. aperitivi cum melle mercuriali, & nitro, aut sale gemmæ. Scroto applicabantur fomenta primo sicca, ut sacculi ex furfuribus torrefactis, aut ex lignorum cineribus; dein vero ex superius recensitis speciebus carminativis in vino decoctis.

Verum ex omnibus his tam interne, quam externe adhibitis nec alvus movebatur, nec urina majore quantitate prodi-

dibat, nec tumor minuebatur, quinimo potius de die in diem augebatur.

Qua ex ratione valentiora remedia ordinaveram; inter quæ primum erat ſuccus aſellorum, quo cum prædictis ſalibus aperitivis, & diureticis per octiduum utebatur.

Cum vero neque ex hujus medicamenti uſu æger proficeret, ad infuſum ſcillæ confugi.

Aſt ex omnium horum uſu tumor totius corporis hydropicus, anxietates, reſpiratio difficilis, augebantur potius quam minuebantur, ut actum de ſalute ægri videretur.

Quo in extremo caſu ſequens perſcripſi remedium:

R. Auri fulminantis ſcrup. I.
Magiſter mecoacon. gran. XXV.
Spirit. ſalis coagulati drag. I.

miſce f. pilul. c. mucilag. tragac. pond. gr. I. quæ foliis auri, aut argenti obvol-

vi poſſunt. De his pilulis ſumpſit æger omni bihorio unam alteramve: vix ſumpſerat talium novem, videbatur jam ſæpius ad emittendam urinam, & ad deponendum alvum ſtimulari.

Ex quo factum eſt, ut die ſequente tres habuerit ſedes; & urinæ libras tres circiter emiſerit. Die vero tertia quinquies aperiebatur alvus, & urinæ libræ ad minimum quatuor ſeceſſerant.

Qua ex ratione juſſi, nychthemeri ſpatio quatuor tantum pilulas aſſumi. Ex quorum continuato uſu magna ſeri copia tam per alvum, quam per urinas quotidie evacuabatur; ſicque tumor faciei, abdominis, ſcroti, aliarumque corporis partium quotidie magis minuebatur, priſtinusque corporis vigor ſucceſſive reſtituebatur; & æger intra viginti aliquot dies integra ſanitate fruebatur.

Interea, dum his pilulis utebatur æger, prædicta fomenta calida ex ſpecie-

ciebus carminativis in vino applicabantur scroto.

LXXII.

Postquam vero scrotum in totum detumuisset, applicabantur quandoque lintea fumo aliquo aromatico, & carminativo imbuta, quandoque vero eadem intingebantur in aqua calcis, & aliqua portione spiritus vini camphorati, & calidiuscule scroto applicabantur.

Ex eadem ratione, nimirum ad genus nervosum, & vasculosum roborandum, utebatur dein æger tinctura rhei aquosa cum tertia parte tincturæ martis cum succo pomorum, item infuso ex baccis juniperi.

LXXIII.

Hoc singulare tamen in hoc casu observabatur, quod dum exanthemata scarlatina aderant, aliquoties saliva sanguinea, & loturæ carnium similis extiterit.

Item, quod, dum tumor leucophlegmaticus, in ſuo vigore conſtitutus erat, urinæ craſſæ, & quandoque ſanguineæ fuerint; dein vero, dum tumor jam notabiliter ſubſederat, urinæ fuerint claræ, aqueæ, & aliquando etiam ſanguineæ.

LXXIV.

Ægrotus V.

Alius octennis puer poſt ſuperatam ſcarlatinam benignam inciderat in eundem tumorem leucophlegmaticum; Medicus ejusdem ordinabat diverſa remedia aperitiva, incidentia, diuretica, adeoque ſalina, ſcillitica, quinimo rhabarbarina, roob ebuli, ſambuci, de ſpina cervina & ſimilia, ſed omnia ſine aliquo effectu; nam nec alvus exinde movebatur, nec urina in majore quantitate evacuabatur; unde tumor & anxietates potius exinde augebantur, quam minue-

nuebantur. Quapropter ordinabat pulviſculos ex jalappa, trochiſcis, alhandali, aut diagridio ſulphurato, cum rheo; item emulſa cum reſina jalappæ. Ex uſu quorum vehementer quidem purgabatur æger; ſed dolorem in latere dextro circa regionem renis perſentiebat, ut preſſionem manus ferre non potuerit. Aderat præterea niſus ad vomitum, ingens ſitis, febris magna, vigiliæ, ſumma virium proſtratio; his dein acceſſerat delirium, oculorum convulſiones, & tandem mors.

LXXV.

ANNOTATIONES ad Ægrotos III. IV. & V.

Hoſce tres ægrotos, eorumque curationes atque alia huc ſpectantia una eademque fidelia examinanda ſiſto. Unde ſequentia corollaria deduci poſſunt: videlicet.

Primo, quod tam ſcarlatina benigna quam maligna opus habeat debito & moderato lecti tepore, ſimilique tranſpiratione: quibus neglectis ut plurimum ſtatus ille hydropicus ſupervenire ſolet.

Ego ipſe mirabar, & adhuc miror, quod iſta regula non tantum tempore hiberno ſed & æſtivo tam neceſſaria eſſe videatur.

Sed ſuadent, & exigunt id repetitæ obſervationes; ratiocinia vero hic ſilere debent. Sic id ipſum in aliis caſibus, ut eryſipelate, vulneribus, ferme quotidie obſervamus; in quibus niſi partes læſæ debite tegantur, quantocius in pejus ruere ſolent tam hiemali, quam æſtivo tempore.

LXXVI.

Secundo, quod in alvi, & urinæ obſtructionibus remedii doſis, quamvis quadruplicata aſſumatur, non exerat effectum, quem ſimplex ejusdem remedii

dii dosis in statu sano producere solebat. Unde necessitas eluceſcit in similibus casibus non tantum talium remediorum dosim augendi, sed etiam ad medicamina valentiora, & magis activa confugiendi. Hoc ipsum confirmat ægrotus tertius, sed præsertim quartus.

LXXVII.

Tertio, quod in hoc tumore leucophlegmatico purgantia drastica ut plurimum siniſtrum soleant sortiri effectum, quod inter alios, quos ego vidi, ægrotus quintus confirmat.

Ast posset aliquis hic oggerere, quod aurum fulminans, resina, aut magisterium mecoacanæ videantur pariter ad remedia drastica referenda esse; quo tamen non obstante, talia ego approbavi.

Respondeo, ingentem esse differentiam inter remedia, quæ ab aloe, scamonio, jalappa, aliisque, resina acri,

& tenaci prædictis, petuntur; & inter alia remedia, quæ ex auro fulminante, mercurio dulci, aut etiam magisterio mecoacanæ, desumuntur: quia illa constant particulis acribus, resina tenacissima obvolutis; unde fit, ut non tantum illa similium remediorum portio, quæ in primis viis hæret, verum etiam illa, quæ ad sanguinem resorbetur, tenaciter adhæreat corpori; sicque constanter, & pertinaciter irritet tam genus vasculosum, quam nervosum & membranosum. Unde dein febris accenditur, inflammationi, putredini, & gangrænæ via sternitur.

Verum omnia hæc funesta symptomata a nostris remediis tam facile metuenda non sunt; quia aurum fulminans nec inhæret nec adhæret alicui corporis parti; neque ad massam humorum resorbetur; sed speciali suo pondere successive pertranseundo intestinorum tractum,

suc-

ſucceſſive pariter modo unam, modo alteram illorum irritat partem; ſibique una cum aliis in eodem canali, aut in vicinia hærentibus, ſtagnantibusque viam parat, & aperit.

Item aliter eſt de reſina v. g. jalappæ & de reſina mecoacanæ ſentiendum, nam reſina jalappæ quacunque ratione ſubigatur, aut corrigatur, ſua tenacitate, ita adhæret fibris, easque ſua acrimonia irritat; ut fere ſemper aut vomitus, aut tormina, teneſmus, aut febris, ſitisque ejus uſum ſequatur; quapropter etiam ab ejus præſcriptione quantum poſſum abhorreo, & abſtineo.

Aliud vero de magiſterio, ſeu reſina mecoacanæ fere quotidie edoceor; nam hæc nulla opus habet correctione, aut cum oleis ſubactione; a naturalibus motibus viribusque vitæ facile ſubigitur, & ſolvitur. Neque unquam ſpeciale aliquod incommodum, nimirum, dolorem, tormina, teneſmum aut febrem in-

inflammatoriam inde exortam vidi: Interim præsente febre, ab ejus usu mihi tempero. Doleo tantum, quod hoc magni pretii remedium divitibus solummodo præstitui possit.

LXXVIII.

Sinistra sors, quam noster ægrotus quintus a supradictis drasticis expertus erat, consistebat in febre illa inflammatoria, quæ principaliter renem dextrum, cerebrumque occupasse, & dein in gangrænam degenerasse videtur.

Tandem quarto illud mirabile symptoma considerandum restat, quod aliquando tempore observantiæ, aliquando tempore tumoris leucophlegmatici observatur. Contingit nimirum, ut sub efflorescentia scarlatinæ saliva sanguinea, aut loturæ carnium similis appareat.

Item contingit quandoque, ut tempore tumoris leucophlegmatici urina sangui-

guinea, aut loturæ carnium ſimilis ſecedat; uti in noſtro caſu eveniſſe aſſerui.

Hoc ſymptoma ratione prognoſeos alicui, minus in his rebus experto, imponere poſſet; verum coram teſtari poſſum hoc eſſe plane indifferens, adeoque nec mali, nec boni quidquam portendere.

Judico enim hoc ſymptoma eodem modo tam quoad cauſas, quam quoad prognoſim, ſicut mucum narium ſanguinolentum in coryza, conſiderandum eſſe. Videntur enim vaſa in ſimilibus caſibus ita relaxata eſſe, ut ſanguis facile vaſa aliena intrare, eorumque oſcula aperire, & exitum ſibi quærere valeat.

Hoc tamen in noſtro caſu mihi mirum videbatur, quod urina iſta ſanguinea ab adhibitis quibuscunque diureticis, non exacerbetur, & exaſperetur, quin

imo

imo procedentibus copiosis urinis successive minuatur, & tandem abigatur.

LXXIX.

Ægrotus VI.

Infans bimulus laborabat scarlatina benigna, qui usque ad diem ab eruptione sextam videbatur quoad omnes functiones bene valere. Eadem die ad vesperas fere inopinato convellebatur; istæ convulsiones nunc magis nunc minus urgebant, quibus tussicula accesserat.

Die sequente continuabat idem calamitosus status; præterea facies rubebat, & aliquantum tumebat, gingivæ præcipue ubi dentes canini erumpere solent, rubebant, & dolebant, labia oris erant sicca, aderat febris, & sitis. Cum exanthemata scarlatina debito tempore evanescerent, neque de illorum retropulsu suspicio esse posset; sic tota hujus

effe-

effectus tragœdia a dentitione merito repetenda erat.

Quapropter clysmata emollientia omni trihorio, aut quadrihorio injiciebantur.

Infanti nunc serum lactis, nunc emulsa ex decocto v. g. hordei cum oxymelle simplici, nitro aut stibio nitrato, propinabantur.

Item, tam ratione tusseos, quam ratione convulsionum, linctus ex oleo amygdalarum dulcium, & diacodio ordinabatur. Omnia hæc in remissione convulsionum, nullo modo, præsentibus convulsionibus, propinari, & deglutiri poterant.

Præterea gingivæ ungebantur sæpius cremore lactis, aut hordei.

Verum omnia hæc remedia non respondebant votis nostris; status enim morbi triduo integro fere idem erat.

Ab adſtantibus, & putantibus hæc a retropulſis exanthematibus dependere, proponebantur veſicantia applicanda, ad materiam exanthematicam centro ad peripheriam evocandam.

Quibus ut ſecundum quid ſatisfacere viderer, fermentum panis cum aceto rutaceo plantis pedum applicandum ſubſtitueram.

Cum vero prædicta ſymptomata a dentitione, adeoque ab inflammatione & ſanguinis in cerebro, ejusque ſinubus ſtagnatione dependere judicaſſem, curavi applicari ſanguiſugas poſt aures: qua ratione quatuor, aut quinque ſanguinis unciæ extractæ fuere.

Aliquot poſt hirudines applicatas horis ſat quietus pacatus, ſomnoque obrutus videbatur æger, neque dein evigilantem convulſiones prehendebant amplius, ſicque lento greſſu ſanitati reſtituebatur.

LXXX.

LXXX.

ANNOTATIONES ad Ægrotum VI.

Similes casus sæpe contingere solent, ut nimirum infantes, tam in scarlatina, quam post illam dentitione afficiantur, quæ nunc plus, nunc minus negotii ægrotantibus facessere solet.

Unde fit, ut ex adhibitis superius recensitis, aliisque similibus remediis quandoque sine ulteriore labore resipiscant.

Quod si non fiat, &, si convulsiones una cum febre inflammatoria urgeant, timendum est, ne morbus in gangrænam, & mortem terminetur.

Quapropter in similibus circumstantiis, vel debet quantocius fieri gingivarum debita incisio, vel conveniens sanguinis missio.

A prima plerique noſtratium ita abhorrent, ut nullis ratiociniis flecti poſſint. Unde neceſſaria erit ſanguinis miſſio.

Quinimo contingit aliquando, ut admiſſa, & facta gingivarum inciſione nihilominus prædicta ſymptomata perſeverent: in tali caſu niſi ſanguis mittatur, de ægro actum erit.

Præterea illud, quod veſicantium applicationem in his, & ſimilibus caſibus concernit, perquam bene notandum eſſe duco, quod nimirum, ſi talia in urgente inflammatione, & non præmiſſa ſufficiente detractione ſanguinis applicentur, ſemper inflammationem, morbumque augeant; gangrænam, mortemque accelerent. Idem dicendum, & ſentiendum eſt de liquore bezoardico Buſſii, de ſpiritu cornucervi, aliisque ſimilibus præſente febre inflammatoria adhibitis.

Hæc ſunt, quæ medicis attentione digna, in ſcarlatina benigna obvenire ſolent.

lent. Altioris vero sunt indaginis, tam illa, quæ cum scarlatina maligna conjunguntur, quam quæ illam subsequuntur.

LXXXI.

Ægrotus VII.

Nobilis Adolescens hujatis D. Saltuarii, seu Cæsarei sylvarum Præfecti de Mayr filius duodecim circiter annos natus, temperamenti sanguinei, 1751. in autumno, grassante tunc Viennæ scarlatina, inceperat per intervalla horrere, & de lassitudine totius corporis, & de dolore capitis, conqueri; somnus erat interruptus, appetitus dejectus; quinimo die sequente aliquoties vomebat, biliosa, aliquamque in deglutinatione difficultatem persentiebat; quæ tunc bili acri, vomitu ejectæ attribuebatur.

Verum die tertia, dum ægrum inviseram, vidi jam exanthemata scarlatina, in facie; deglutitio erat magis la-

borioſa; fauces rubebant & tumebant; pulſus erat celer, denſus & fortis; ſitis magna; & æger ſoporoſus videbatur, quin imo noctu ſubdelirabat & inquietus erat; continuabat præterea nauſea, & niſus ad vomitum cum amaritie oris.

Die quarta tota jam facies colore rubro, ferme uniformi obſita, & aliquantum tumens apparebat.

Eadem die videbantur jam maculæ rubræ in collo, pectore, dorſo, ſat numeroſæ; in manibus vero & pedibus paucæ. Alia vero ſymptomata erant eadem die quæ præcedente.

Die quinta facies, collum, dorſum, & pectus adhuc intenſe rubebant: in manibus & pedibus maculæ rubræ pariter numero augebantur.

Die ſexta obſervari poterant in facie plures maculæ rubræ ab invicem diſtinctæ; quæ tamen die præcedente vi-

de-

debantur unam valde latam maculam conſtituere.

Die ſeptima in facie palleſcebant, in manibus vero & pedibus adhuc rubebant.

Aſt hoc notatu dignum erat, quod jam eadem die, ſed præcipue die ſequente ſeu octava præſertim in manibus, & pedibus obſervatæ fuerint quædam veſiculæ albæ, milliaria alba, ſub ſui initium exactæ referentes; quæ tamen ſecunda & tertia die latiores factæ flacceſcebant, & ſubſequæ deſquamationi, ſeu decorticationi fundamenta præbebant.

Nam die duodecima, decima tertia morbi, & ſequentibus lamellæ integræ, & quaſi coriaceæ ſecedebant, quas æger ſine labore, & dolore detrahebat.

A die morbi nona uſque ad vigeſimam ſecundam, aut tertiam videbatur æger melius ſe habere; nam libere deglutiebat, febris, & ſitis remittebant,

& placidius dormiebat. Interim præ debilitate in lecto se fere continuo continebat.

Quo tamen non obstante vigesima secunda & 23. morbi die observabatur tumere primo in facie, dein in reliquo corpore, ita, ut 28. morbi die tumor iste leucophlegmaticus summum attigerit gradum, & de salute ægri jam actum videretur.

Hæc est succincta hujus ægroti historia; quæ duos alios nostri ægroti fratres, duasque sorores comprehendere debet: nam aliquot diebus vix elapsis eodem scarlatinæ malignæ contagio afficiebantur, & eadem pariter scarlatinæ malignæ funesta symptomata, quamvis non omnes in eadem intensione experiebantur. Etenim febris aderat magna, deglutitio difficilis, tandem sequebatur, decorticatio, & tumor leucophlegmaticus in omnibus. Quæ quamvis tum

ægris,

ægris, cum mihi medenti, multum negotii faceſſerent, nihilominus tamen omnes, favente Numine integræ ſanitati reſtituebantur. Sed videamus qua ratione id factum fuerit.

LXXXII.

Cum die morbi tertia ad hunc ægrotum advocatus fuiſſem, omniaque ſymptomata rite examinaſſem, vidi, adeſſe magnam febrem inflammatoriam.

Item cum bilis vomitum, amaritiemque oris conſideraſſem, judicavi, a ſpaſmo veſicæ felleæ bilem per ductum Cholidochum ad inteſtinum duodenum, tandemque ad ventriculum exprimi & deferri. Adeoque curavi

Primo, ut juxta datas §. XLVI. regulas inflammationi proſpicerem, &

Secundo, ut illud acre exanthematicum, & bilioſum temperarem, & abluerem e corpore: ſecus enim ſi bilis ſangui-

ni miſceatur, febrem periculumque augere ſolet.

Quapropter curavi quantocius uncias circiter octo ſanguinis per venæſectionem extrahi. Cum vero intra aliquot minuta ſanguis extractus cruſtam lardaceam indueret, juſſi repeti, & ex eadem jam inciſa vena poſt bihorium totidem uncias ſanguinis mitti. Parentes videbantur quidem venæſectioni obſtare; ſed dum illis deplorabilem deglutionis ſtatum, imminensque ſuffocationis periculum, objicerem, facilius meis adnuebant votis.

Eodem tempore ordinabam gargariſmata ex decocto hordei, nitro & melle roſarum.

Item clyſmata ex decocto hordei, & ſpecierum emollientium; aut etiam ex lacte; quæ ſemel aut bis de die injiciebantur.

Pro acrimonia exanthematica, & bilioſa temperanda, & abluenda ordinabam diverſa remedia: ut decoctionem ex rad. ſcor-

scorzoneræ, acetosæ, tamarindis, & nitro, syrupo aut ribium, aut acetosæ aut oxymelle simplici edulcorandam.

Item emulsa ex seminibus frigidis, aliquando cum, aliquando sine semine papaveris albi.

Eisdem indicationibus satisfaciebat pariter serum lactis; aut etiam hydrogala. Quæ adsiduo, & in debita quantitate, prout unum alterumve ex his magis arridebat, propinabantur.

Tandem ad inquietudines sedandas, somnumque conciliandum inserviebant paregorica.

His effectum erat, ut omnia periculosa symptomata primo mitigarentur, dein vero plane abigerentur; sicque æger die circiter decima quarta in vado esse judicaretur.

LXXXIII.

Verum octo diebus dein vix exactis tumor ille leucophlegmaticus novas nobis injecit curas, novumque attulit periculum.

Hic enim lente, & insensibiliter se insinuabat, & non, nisi dum in notabilem molem increvisset, observabatur.

Quapropter sine mora prædicta aperitiva, salina, diuretica, & per epicrasim evacuantia in usum vocabantur.

Præterea tumenti scroto applicabantur cataplasmata ex speciebus carminativis cum vino in pultem coctis.

Cum enim ex his tam per alvum, quam per urinam multum materiæ serosæ, & mucosæ quotidie evacuaretur, & tumor exinde successive decresceret, illis institi, neque alia valentiora molitus fui. Quorum ope dein intra 15. aut 16. dies ægrotus pristinam recuperavit sanitatem; sed non vires, quibus resarciendis longiore tempore opus erat.

LXXXIV.

LXXXIV.

Eadem fere methodo usus fui apud alios nostri ægroti fratres, & sorores; qui eodem morbo, & iisdem symptomatibus affecti erant. Differentia tamen quoad curationem interfuit aliqua: nam duobus natu minoribus sanguis missus non erat, partim propter teneram nimis ætatem, partim quod symptomata non ut in aliis exasperata viderentur.

Item in uno prædictorum ægrotorum nonum annum agente tumor leucophlegmaticus ita pertinaciter affligebat, ut prædictis salinis aperitivis non cederet, sed potius augeretur. Unde necessarium fuit ad scillam, & millepedas confugere, quibus tandem domatus fuit.

LXXXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0175
DFG

LXXXV.

ANNOTATIONES

ad Ægrotum VII.

Hicce casus præprimis ostendit necessitatem venæsectionis in scarlatina maligna instituendæ, præsertim dum magna inflammatio fauces occupat. Quo in casu si omittatur, vel gangræna vel suffocatio presso pede sequi solet.

Hoc assertum possum pluribus aliis observationibus corroborare, sed sufficiat illa, quæ eodem tempore nobilissimam D. D. Comitum de Kauniz Prosapiam attigerat. Duo nimirum Illustrissimi ejusdem familiæ juvenes Comites, in Academia Sabaudica tunc commorantes, corripiebantur scarlatina maligna. In utroque exanthemata fere una cum morbo in conspectum venerant; in utroque pariter ingens inflammatio fauces occupabat.

In

In uno ſeu ſecundo genito, propter metum retro pulſus nulla venæſectio admittebatur. Unde etiam factum fuit, ut intra triduum ſuffocaretur æger.

Alteri vero, nimirum primogenito debita ſanguinis miſſio inſtituta erat; qui quamvis dein totius fere corporis deſquamationem, & decorticationem expertus, tumoremque hydropicum in longum tempus perpeſſus fuerit; nihilominus tamen (favente Numine) omnem hujus truculenti morbi ſævitiem eluſit, ſuperavit, evicit; cui Deus ſecundam ſine fine tribuat vitam, ut Magni Parentis veſtigia terens, ſibi, Reipublicæque felix vivat.

Præterea ex hoc caſu edocemur quasdam cautelas, quæ vomitum bilis, amaritiemque oris (ſcarlatinæ malignæ ſolita ſymptomata) reſpiciunt, & quæ medentibus inexpertis, ut ego ſæpe vidi, imponere poſſunt. Vidi nimirum in ſimilibus caſibus emetica præſcribi; a quibus

non

non tantum febris, anxietates, deliria perpetuusque nisus ad vomitum, augetur sed & fauces, præcipue larynx, pharynxque ita inflammantur, ut ægro suffocatione necessario pereundum sit.

Quapropter meliore & saniore incedimus via, si illud acre irritans temperemus, diluamus, & abluamus per illa, de quibus superius in cura dictum est; quæ tam per os assumi, quam per enemata injici possunt. Neque ex enematibus diluentibus, & emollientibus, dummodo omne acre irritans, stimulansque absit, quidquam de retropulsu metuendum est, ut quidam opinantur.

Tandem quod tumorem leucophlegmaticum in nostro ægro attinet, exinde cognoscere possumus, quod quandoque levioribus aperitivis abigatur, quandoque vero nec valentissimis cedat remediis.

LXXXVI.

LXXXVI.

Ægrotus VIII.

Juvenis ſeptemdecim circiter annos natus cubicularii apud ſereniſſimam Sabaudiæ Ducem filius laborabat ſcarlatina maligna cum inflammatione faucium, aliisque ſolitis ſymptomatibus; quibus ſtillicidium narium ſe adjungebat.

Omnia remedia, quæ legitimis indicationibus ſatisfacere poſſent, in uſum vocata ſunt, excepta ſola ſanguinis miſſione, quæ, quamvis ordinata fuiſſet, tamen inſtituta non fuit.

Morbus interea cum inflammatione faucium augebatur; his acceſſerant deliria, convulſiones, & tandem quarta ab eruptione die mors.

Vix denato ægro, & toto adhuc calente cadavere, ingens copia ſanguinis ex ore, & præcipue e naribus, effluxit.

LXXXVII.

LXXXVII.

ANNOTATIONES ad Ægrotum VIII.

Hæc ſuccincta morbi, mortisque hiſtoria nos docet, quod ex inflammatione faucium, aliarumque adjacentium partium venæ jugulares, & vertebrales ita premantur, ut ſe in ſubclaviam exonerare non poſſint; ex quo dein fit ſtaſis inflammatoria in cerebro, ejusque ſinubus. Hoc ipſum evidentiſſime obſervamus in angina, pleuritide, & peripneumonia.

His præſuppoſitis quisque cognoſcet vanos, inanesque eſſe omnes alios medentium conatus, niſi in ſimilibus caſibus ſufficiens fiat detractio ſanguinis In quo caſu, ſicut ſuperius §. LXXIX. oſtendi ſanguisugas in infantibus poſt aures appoſitas optimum præſtare effectum, ex eadem

dem pariter ratione, & quidem majore, cum fundamento judico, sectionem venæ jugularis in ætate provectioribus omnibus aliis anteponendam esse. Quia hæc immediate ex cerebri sinubus, aliisque ejusdem vasis, in quibus stasis inflammatoria hæret, derivat.

Ex quo patet ratio illius observationis medicis practicis notæ, qua videmus, largam narium hæmorrhagiam in morbis acutis proficuam esse, stillicidium vero semper mali ominis; quia denotat, stasim inflammatoriam in cerebro, quam de se solvere potis non est, in gangrænam degeneraturam.

Unde mirum non est, quod non tantum in scarlatina maligna, sed in aliis etiam morbis acutis, præcipue si sanguis non erat extractus, statim post mortem magna cruoris copia tam per os, quam per nares, quandoque effluere soleat; quia post mortem vasa, quæ prius stricta, &

integra erant, relaxantur, aut eroſa, facile aperiuntur.

Quare dolendum quod quidam præjudiciis capti malint proprio ſuffocari cruore, quam in certis circumſtantiis venæſectionem admittere.

LXXXVIII.

Ægrotus IX.

Adoleſcens ſyntaxeos ſtudioſus tredecim circiter annos natus 1760. in Novembri afficiebatur ſcarlatina maligna hoc modo: Prima ſtatim die de ſummo languore, debilitate, nauſea, & niſu ad vomitum conquerebatur; ſecunda die in conſpectum jam venerant exanthemata ſcarlatina in facie, aderant præterea reſpiratio, & deglutitio laborioſa, ſitisque intenſa; & reliqua, quæ prima die: Ego advocatus inveni pulſum celerem debilem, & vix perceptibilem, qui, quamvis adeſſet

esset summa faucium inflammatio, & reliqua, quæ venæsectionem indicarent, me a sanguinis missione deterrebat, & arcebat.

Dum vero post meridiem ægrum delirantem suffocandumque invenirem, judicavi non obstante prædicta pulsuum debilitate, unicum supereſſe remedium, spemque e sanguinis missione; qua dein in pede instituta, pulsus fiebant successive sensibiliores, & fortiores; respiratio, & deglutitio evadebat facilior; & adhibitis aliis remediis ægrotus breve intra tempus sanitati restituebatur.

LXXXIX.

ANNOTATIONES ad Ægrotum IX.

De simili observatione locutus sum jam superius §. XLVII. ubi ostendi, virium

rium proſtrationem, languoremque ſæpius a ſpiritibus, & viribus oppreſſis, quam ab exhauſtis dependere; etenim in florente ætate, & alias robuſto corpore cauſa ſubitanei languoris aliter concipi vix poterit.

Idem ſæpe obſervamus in aliis febribus continuis, malignis, miliaribus, & petechialibus, in quibus pulſus debilis, & ſumma virium proſtratio adeſſe ſolet; quæ ſymptomata multos medicos a venæſectione deterrere, & arcere ſolent.

Quia prædicta virium proſtratio quandoque a diſſoluta humorum maſſa dependere obſervatur; in quo caſu ſi venæſectio inſtitueretur, æger certo certius ſuccumbere deberet.

Qua ex ratione cum viderim, in ſimilibus caſibus venæſectionem multum ad ſalutem aut mortem conferre poſſe, indagavi, induſtria, qua potui, ut determina-

minarem, quando ſanguinis miſſio inſtitui, & quando omitti debeat.

Si enim virium languor dependeat a ſpiritibus oppreſſis, tunc quamvis pulſus ſit debilis, eſt tamen denſus, & durus; item genæ rubent, & corpus ad tactum calet; neque præceſſerat nimia alicujus humoris evacuatio, quæ omnia in ſpiritibus, & viribus exhauſtis, aut humoribus diſſolutis aliter ſe habent.

Ut tamen in ſimilibus caſibus eo certior de ſecundo ex miſſione ſanguinis effectu reddar, curo primo modicam ſanguinis quantitatem extrahi; ſi enim ſanguis magno impetu effluit, & dein cruſtam lardaceam induit, aut in ejusdem defectu ſpiſſus, & tenax eſſe appareat, tunc ſine omni cunctatione, & periculo debet debita ſanguinis miſſio inſtitui, ex qua dein æger potius alleviatur, quam opprimitur.

Similis petechialis epidemia an. 1758. & 1759. hic Viennæ totam obtinebat

hiemem. Nam ægri conquerebantur de ſumma totius corporis laſſitudine, de diverſis rheumaticis affectibus, de ingenti dolore capitis, pulſus erat debilis, & ſub initium morbi fere ſemper naturalis, in quo caſu ſi ſanguis mittebatur, ego ſemper lardaceum, aut perquam ſpiſſum, & tenacem vidi; qua ex ratione binas, aliquando etiam ternas venæſectiones præſtituere ſolebam, ex quibus, aliisque appropriatis antiphlogiſticis, effeci, ut ferme omnes, qui meæ curæ commiſſi erant, ſanitati reſtituerentur.

Alii vero eodem petechiali morbo affecti, quibus ſanguinis miſſio inſtituta non erat, die quinta, aut ſeptima fiebant ſoporoſi, delirantes, & die undecima, aut decima quarta convulſi plerique moriebantur.

Iſte eſt ſtatus in morbis acutis, ut plurimum malignis, in quibus ſanguis mitti debet. Aliter vero ſentiendum eſt, ubi

con-

contraria ſigna adſunt; ut ſi ſanguis miſſus diffluat, vixque cohæreat; aut, ubi largæ evacuationes per hæmorrhagias, aut diuturnas diarrhæas, præceſſerant; ex quibus ægri viribus exhauriri ſolent. In talibus enim caſibus a venæſectione, quantum poſſum, mihi tempero; & ex fonte pharmaceutico & diætetico remedia peto.

CX.

Ægrotus X.

Adoleſcens quatuordecim circiter annos natus, 1758. corripiebatur ſcarlatina maligna, aliisque ſuperius §. XXVIII. recenſitis & ſolitis ſymptomatibus.

Primis morbi diebus utebatur emulſis, ſero lactis, & tinctura florum rhæados pro potu ordinario, aliisque antiphlogiſticis, & appoſitis remediis.

Verum præsentibus exanthematibus, propter metum retropulsus nulla venæsectio admittebatur.

Die autem ab eruptione tertia ad domandam acrimoniam septicam malignam exhibebatur cortex peruvianus, tanquam specificum antisepticum.

Ast de die in diem augebatur morbus, febris, difficultas in respiratione, & deglutitione; tandem accesserant ferocia deliria; convulsiones & mors.

XCI.

ANNOTATIONES
ad Ægrotum X.

Sancte fateri possum, quod hujuscemodi funestos casus non tantum in scarlatina maligna, sed etiam in aliis febribus malignis sæpius viderim: si enim in similibus morbis, qui phlogisticam indolem præseferunt, cortex sine præmissa venæ-

se-

sectione exhibeatur, semper plus damni, quam commodi exinde expectandum erit.

Aliter vero se res habet, ubi præmissa sufficiente detractione sanguinis genus nervosum, præcipue vero vasculosum laxum redditur, pulsus concidunt, debiles mollesque redduntur; in similibus casibus sperare possumus, fore ut cortex virtute sua tam antiseptica, quam tonica, multum emolumenti ægrotis afferat.

Si quis meis allatis observationibus non acquiescat, acquiescet tamen, si parumper considerarit observationes de exhibendo cortice in febribus intermittentibus, & remittentibus apud diversos celebres practicos.

Omnes practici norunt, quam male exhiberetur cortex in exacerbatione talium febrium; quia sic non tantum paroxismus, sed morbus ipse augeretur.

Quapropter sedulo & attente observare solemus talium febrium apyrexiam,

aut remissionem, ubi nimirum pulsus incipiunt fieri rariores, mollioresque. In quo statu dein cortex optimo cum effectu exhiberi solet.

XCII.

Ægrotus XI.

Hujatis civis filia decennis laborabat scarlatina cum magna faucium inflammatione; respiratione, & deglutitione, difficilibus. Huic nulla fuit venæsectio celebrata, sed superius §. XLIX. recensita remedia antiphlogistica, item gargarismata, & injectiones ex decocto hordei cum melle rosarum, & pauxillo nitri in usum vocabantur. Externe vero circa collum cataplasma ex speciebus emollientibus in lacte coctis tepide applicabatur.

Die ab eruptione circiter sexta quotiescunque gargarismata, aut injectiones in usum vocabantur, secedebant, & excreabantur quædam lamellæ coriaceæ, illis, quæ superius §. VI. describuntur, quoad omnia similes. Inti-

Intimius dein harum lamellarum, internique oris inſtitutum examen docuit, quod hæc eadem, quæ in partibus corporis externis, præſertim manibus, & pedibus fieri ſolet, decorticatio fuerit; nam non tantum membrana, quæ palatum, tonſillas, uvulamque inveſtit, ſed etiam illa, quæ faucium ulteriorem, & profundiorem expanſionem occupat, ſeparabatur, & excreabatur.

Tandem ſed aliquot diebus tardius, ſuccedebat eadem decorticatio in corporis partibus externis; quin vero ille ſolitus tumor hydropicus ſequeretur.

XCIII.

ANNOTATIONES
ad Ægrotum XI.

Tales lamellas coriaceas non tantum in illa angina, quæ ſcarlatinæ jungi ſolet malignæ, ſed etiam in aliis anginis ſæpius vidi.

vidi. Nuperrime cum Expertissimo, & Magnifico Domino de Zwenhoff tres hujuscemodi habui casus; in quibus non tantum similes lamellæ, sed integræ thecæ, quæ uvulam, tonsillasque obvolvebant, separabantur, & excreabantur, relictis prædictis partibus nudis, intense rubris, & sensibilibus; eo quod tunc tenerrima, & tenuissima tantum membrana obductæ essent. Quapropter has partes lacte tepido, aut mucilagine seminum cydoniorum, donec naturalem tonum, vigoremque adipiscerentur, fovere debuimus.

XCIV.

Ægrotus XII.

Adolescens Dominus de Peterneg undecim circiter annos natus corripiebatur scarlatina maligna, quæ tam vaga & variabilis erat, ut nunc majore nunc minore copia appareret, item nunc magis, nunc

nunc minus ruberet, quod aliquoties de die obſervabatur, ſicque per octiduum fere hujus exanthematis inconſtantia perſeverabat.

Ægrotus interea ſtatim a principio morbi inquietus, anxioſus, nunc plus, nunc minus delirans erat.

Inſtituta conſultatione applicabantur duo veſicantia ad ſuras; poſt biduum vero alia duo ad brachia, tandem, cum deplorabilis morbi conditio pejor appareret, aliud ad nucham apponebatur.

Item in uſum vocabantur diverſa ſuperius §. XLIX. recenſita antiphlogiſtica remedia, quibus etiam modicum camphoræ addebatur. Venæſectio vero propter metum majoris retropulſus non admittebatur.

Verum ex omnibus his nihil proficiebat, quin imo ſemper in pejus ruebat æger. Nam die undecima delirium fiebat furibundum, & phreneticum, per intervalla

valla enim æger ſoporoſus, occluſis palpebris, demiſſa voce diverſa obloquebatur, & aliquantum quietus apparebat; ſed mox convulſis palpebris, oculisque alta voce clamare, & vociferari incipiebat, e lecto proſilire, omniaque tegumenta abjicere, conabatur; donec magno clamore, violentisque corporis motibus attritus, & laſſus per brevia quædam intervalla conquieſceret: quæ mœſta & horribilis ſcena ſæpius repetere ſolebat.

In hoc caſu curavimus capillitium abſcindi; ſicque capiti columbas vivas in duas partes ſciſſas apponi, ſæpiusque aliis recentibus ſubſtitutis repeti.

Item ſuperius nominatis remediis adjungebantur aliquot guttæ liquoris bezoardici Buſſii, & anodyni mineralis: & tandem enemata emollientia applicabantur.

Aſt

Aſt omnes iſti erant vani, & inanes conatus; etenim die circiter vigeſima fiebat quaſi hæmiplecticus, quoniam in latere ſiniſtro nec manum nec pedem movebat, cum tamen in alio latere violentos ſæpe ederet motus.

Quare tot & tam diuturnis ærumnis attritus æger die morbi vigeſima octava expiravit.

XCV.

ANNOTATIONES ad Ægrotum XII.

In ſcarlatina ſæpe contingere ſolet, ut exanthemata ita vaga, & inconſtantia obſerventur; qua ratione fit, ut morbus ſedem ſuam per modum inflammationis in cerebro figat, ut in noſtro caſu contigit.

Hoc vero ſingulare præſens caſus habet quod morbus malignus, & inflam-

flammatorius ad vigesimam octavam usque diem se extenderit.

Si enim talis cerebri inflammatio, ut plerumque fieri solet, in gangrænam transeat, tunc citius finem vitæ imponit; si vero in suppurationem tendat, ut in nostro casu factum fuisse videtur, tunc morbus longius protrahi potest.

Quapropter si in simili, ut præsens est, casu, debito tempore sufficiens sanguinis detractio, præsertim ex vena jugulari facta fuisset, sperari potuisset, fore ut prædicta cerebri, meningumque inflammatio eo facilius, coadjuvantibus aliis appropriatis remediis dissipata fuisset.

Ex quo iterum patet, quemadmodum jam superius sectione IX. §. LXXX, dixi, quare in hoc casu neque ex vesicantibus, neque ex camphoratis, aliisque volatilibus æger profecerit quidquam; quinimo semper metuendum est, ne urgente inflammatione & omissa ve-

næ-

næsectione talibus remediis plus damni quam emolumenti afferamus.

XCVI.

Hic quæstio institui posset, an non in similibus casibus artificialis vasorum hæmorrhoidalium apertio aliquid ad salutem conferre posset.

Ad quod respondeo, quod quamvis propriis experimentis necdum id affirmare, & confirmare possim nihilominus tamen ex aliis rationibus judicem, sanguisugas venis hæmorrhoidalibus appositas plurimum levaminis afferre posse; quia

Primo anatomicis constat, quod carotides, & vasa hæmorrhoidalia oppositа directione sanguinem vehant; adeoque sperandum est, fore, ut revulsio in hoc casu habeat locum.

Secundo, quia ex aliis similibus observationibus constat, ut in mania, apoplexia & phrenitide vera, quod nimi-

rum in his hoc remedium proficuum deprehendatur: unde propter analogiſmum credere poſſum, quod etiam in phrenitide noſtra ſymptomica idem conducere poſſit.

Sic Hippocratis Sectione VI. Aphor. 21. dicit: *Si inſanientibus varices, aut hæmorrhoides ſupervenerint, morbi ſolutio fit.* Idem ſentit Celſus Lib. II. I.

Item triſtis experientia nos docet, quod a ſuppreſſis hæmorrhoidibus mania, apoplexia, phrenitis, aut epilepſia aliquando ſuperveniat; adeoque a contrario cum fundamento judicare poſſumus, quod a reſuſcitatis hæmorrhoidibus, prædictis affectibus levamen afferri poſſit.

XCVII.

Ægrotus XIII.

Anno 1746. in autumno graſſante ſcarlatina ut plurimum maligna, mea filia tunc annorum 7. corripiebatur eodem mor-

morbo. Exanthemata, uti in præcedente casu erant vaga & variabilia. Unde ægra delirabat, furebat, clamabat, & vociferabatur fere diu, noctuque, ut jam prius dixi. Hæc tristis, & funesta morbi conditio durabat fere octiduo integro.

Expertissimus & eruditissimus D. Collega Steindl de Plessenet, qui mihi tunc a consiliis & auxiliis fuit, una mecum omnem salutis spem absciſſam esse judicabat.

Ast præter omnium opinionem die circiter undecima in sedatum, placidumque prolabatur somnum; unde expergefacta mente constare videbatur, sed ad interrogata, aut nihil, aut non apte respondebat. Ex quo constabat, surditatem adesse; etenim tunc ægra de dolore aurium conquerebatur; si aures contrectabantur, aut premebantur, dolebant.

Quapropter cataplasma ex speciebus emollientibus in lacte coctis applicabatur. Brevi dein aures plorabant materiam quandam puriformem, & striis sanguineis mixtam. In quo casu decoctum hordei cum melle rosarum sæpius auribus infundebatur tepide; sicque materia illa purulenta breve intra tempus abstergebatur, & abluebatur; ex quo ægra de die in diem facilius exaudiebat, meliusque valebat. Et tandem, benigno favente Numine, integræ restituebatur sanitati.

XCVIII.

ANNOTATIONES ad Ægrotum XIII.

Erysipelas, variolæ, aliique similes morbi nos docent, quod ipsorum materia phlogistica, si superficiem corporis

non

non occupet, facile caput petat, ibique inflammationi viam ſternat.

Hoc ipſum in ſcarlatina maligna commune quidem, ſed funeſtum ſymptoma eſſe ſolet. In noſtro enim caſu videtur inflammatio cerebrum, & meninges occupaſſe, quæ niſi critice ad aures mota fuiſſet, infallibiliter, aut in gangrænam aut in ſuppurationem degeneraſſet. Hæc metaſtaſis facta fuit a parte nobiliore, nimirum cerebro, ad minus nobilem, & quidem cum ſymptomatum alleviatione, & die critico; adeoque ad motus criticos naturæ revocanda eſt.

Tales metaſtaſes legimus apud Hippocratem in Coacis prænotionibus N. 1. ſed ibidem N. 2. legitur metaſtaſis ſymptomatica ad aures; quia morbus exinde non minuebatur ſed potius augebatur.

Tandem hic meminiſſe convenit aliquarum, quæ ad hunc caſum ſpectant notabiliorum obſervationum:

Sic Herula de Stab 9. annos nata, meam ſcarlatina maligna laborantem filiam ſæpe inviſerat, eique adſtiterat; unde factum eſt, ut in eundem incideret morbum, in quo exanthemata, ut in præcedente caſu, vaga & inconſtantia erant; ægra pariter delirabat, furebat, ac tandem convulſa mortua eſt.

Item & eodem funeſto modo contigit aliquot Illuſtribus de nobili Familia L. B. de Nimſch Prolibus, quæ ex truculento hoc morbo aliquot dierum ſpatio denatæ ſunt.

XCIX.

Congrua & opportuna ſe offert hic occaſio breviſſime quidquam de illa notabili obſervatione dicendi; quam Clariſſimus Hamilton de febre miliari affert. Obſervat enim hic Eruditiſſimus Vir in ejusdem hiſtoria I. & II. quod, ſi in exanthematibus miliaribus fiat raptus ad cerebrum, & deliria urgeant, nihil magis

gis

gis conducat, quam purgans antiphlogisticum, & venæsectio. De venæsectione jam plura dixi superius: quæstio itaque esse posset; an non in illo casu scarlatinæ malignæ ubi fieret raptus ad cerebrum, & deliria urgerent, purgans aliquod antiphlogisticum ordinari quoque posset; cum eadem ratio, quæ in miliaribus illud hic quoque suadeat. Sane hic optime quadrat illud, quod extremis morbis extrema remedia optima sint; truculento enim huic morbo duro cuneo profecto opus est; neque similem ægrum prognostico relinquere, sed alia atque alia experiri debemus remedia.

C.

Ægrotus XIV.

Studiosus hujatis civis filius, octo circiter annos natus, corripiebatur scarlatina, quæ primis efflorescentiæ diebus benigna apparebat; nam eo tempore

æger diu noctuque quietus esse videbatur; item exanthemata triduo integro saturate rubebant, & constanter copiosa aderant.

Verum his non obstantibus die morbi circiter septima, & ab exanthematum eruptione quinta; æger tota nocte insomnis, inquietus, & sticulosus quinimo delirans esse dicebatur. Pulsus, qui prius fere naturalis erat, fiebat celerior, & durior.

Die sequente augebantur omnia prædicta symptomata; nam major aderat inquietudo, major mentis alienatio; per certa intervalla clamabat, vociferabatur, & e lecto prosilire conabatur.

Hæc dira symptomata sequentibus diebus nunc magis, nunc minus urgebant; & quamvis remedia diluentia antiphlogistica, emulsa, paregorica, aliaque similia, interne; externe vero enemata, vesicantia, in usum vocata fuerint, nihil-

omi-

ominus tamen, die 18. morbi convulsus mortuus est.

CI.

ANNOTATIONES ad Ægrotum XIV.

Sane ego sæpe mirabar, & adhuc admiror, quod scarlatina, quæ optima signa præseferre videtur, quandoque medentes, aliosque fallere possit.

Iste meo judicio est verus Caracter morborum malignorum, qui ideo maligni dicendi sunt, quia nobis facile imponere possunt.

Tales casus plures habui, & ideo cautior redditus de morbi natura facile ante debitum terminum definire non soleo.

In similibus casibus videtur materia exanthematica ad cerebrum rapta, stasim inflammatoriam ibidem induxisse.

Quapropter cum omnia prædicta, quamvis valentissima, in usum vocata remedia videantur imparia tanto tollendo malo, unica spes supereisset ex sanguinis missione, & antiphlogisticis per epicasim evacuantibus; & statim ab initio talis exacerbationis, methodo a Clariss. Hamilton præscripta, ordinatis: quia, si inflammatio jam adolesceret, vix quidquam boni exinde sperandum erit; in tali enim statu, aut in gangrænam, aut in suppurationem tenderet inflammatio.

Interea hic superficialiter saltem illam observationem attingere debeo, qua in similibus casibus videmus quandoque fieri metastases ad aures, parotides. Tales metastases aliquando fiunt critice, aliquando vero symptomatice. Vide §. XCVII.

Ast hoc ipsum omnes medici practici observant quandoque etiam in aliis morbis acutis contingere.

CII.

CII.

Ægrotus XV.

Perill. Domini de Baumaiſter filius, 13. circiter annos natus, 1761. primis Aprilis diebus ſine manifeſta cauſa fiebat languidus; triſtis, prima ſtatim morbi die, nec appetebat, nec placide, ut alias dormiebat. Item de ſiti, dolore capitis, & aliqua in deglutiendo difficultate conquerebatur.

Secunda morbi die aderant jam exanthemata ſcarlatina in facie, febris erat magna, & urina ſaturate rubicunda, ſitis, & reliqua, ut die præcedente.

Tertia die totum corpus videbatur quaſi una macula ſaturate rubra obſitum, ſubtumidum, & ad attactum, præcipue in manibus, adinſtar carbonis igniti urens.

Die quarta idem rubor, & ardor perſeverabat. Interim, quod mirum, non obſtante prædicto ardore, pulſus

ſus neque tam celer, neque tam durus, ut diebus præcedentibus, obſervabatur. Item ſitis non erat ita intenſa, neque inquietudo tanta.

Die quinta in facie jam palleſcebant exanthemata perſeverante tamen prædicto rubore in aliis corporis partibus.

Die ſexta & ſeptima palleſcebant, & in toto ferme corpore evaneſcebant exanthemata; exceptis tantum illis, quæ pectus occupabant; nam hæc biduo integro diutius; adeoque ad nonam uſque morbi diem, perſeverabant.

Hic adnotare debemus, quod jam quarta morbi die in manibus quædam minimæ papulæ albæ, exanthemata miliaria referentes, in conſpectum venerint; quæ numero, & volumine ſucceſſive auctæ futuræ decorticationi fundamenta ſternebant; nam die morbi ſexta epidermis præſertim circa cubitum, & carpum fiebat alba, & in diverſæ figuræ lamellas, aſt adhuc arcte

cte cum ſubjecta cute cohærentes, finebatur, quæ ſequentibus diebus ſucceſſive a cute ſecedebant, & quædam plus, quædam minus denſæ ſeparabantur.

Mirabilis illa decorticatio erat, quæ in volis manuum contingebat; nam epidermis craſſa, & ad inſtar bergamenæ denſa, volas manuum exacte æquans, reſerensque abſcedebat; quam hodie dum propter rei raritatem pixidi incluſam Parentes conſervant.

Prædicta decorticatio in manibus tantum obſervabatur; etenim quæ in facie, pectore, dorſo, reliquoque corpore fiebat, erat illi deſquamationi, quam in morbillis videmus, ſimilis.

Die morbi decima quinta, & decima ſexta, ubi æger jam perquam belle valere videbatur, inceperant tumere, & dolere parotides, aliæque glandulæ colli.

In quo caſu æger febricitabat, ſitiebat, nec caput, nec collum movere pot-

poterat; quinimo preſſis a prædicto tumore maxillæ inferioris muſculis os ad capiendum cibum, & potum difficulter aperire valebat. Illa vero, quæ aſſumebat, ſine magna moleſtia deglutiebat; quod denotabat, tonſillas, aliasque laryngis, pharyngisque glandulas liberas eſſe.

Iſte tumor glandularum ſolebat ſæpe, & celeriter variare ſitum; etenim nunc magis prædictas colli glandulas; nunc oxillares, mox dein inquinales occupabat, moleſtabatque. Quapropter mirabar, quod materia peccans tam cito ab una corporis parte ad aliam migrare & transferri poſſit. Verum tamen poſtquam conſideraſſem idem fieri in variolis, & in arthritide vaga; videbar mihi dilucidius vias, per quas id contingeret, percepturus; nimirum non tam lege circulationis, quaſi materia peccans, ad maſſam humorum reſorpta, ad prædictas par-

partes deponeretur, quam quod mediante membrana celluloſa facile ab una parte ad aliam migraret, judicabam.

Ratio aſſerti conſiſtit in ipſa experientia, qua videmus quod tales materiæ translationes fiant ſine notabili exacerbatione; ſic in variolis tumor faciei transfertur ad manus & pedes, ſine ſpeciali exacerbatione; item in arthritide vaga ſæpe, & ſat cito materia peccans transfertur ab una parte corporis ad aliam pariter abſque præcedente aliqua exacerbatione.

Hoc quidem verum eſt, quod tam in variolis, quam in arthritide vaga, dum materia peccans in aliqua parte ſedem figit, dolores, tenſionesque ibidem efficiat; aſt ſi prius circulo humorum communicaretur, deberet febrem, anxietates, & inquietudines excitare antequam ad aliquam partem fieret depoſitio.

Hoc ipſum fere quotidie videmus in criticis evacuationibus morborum acutorum;

rum; in quibus materia peccans circulando antequam per urinas, per alvum, aut per aliam viam, critice evacuetur, febrem accendit, anxietates deliria, aliaque gravia ſymptomata exaſperat; juxta effatum Hippocrat. Sect. II. Aphor. 13. *Quibus criſis ſit, his nox ante exacerbationem gravis eſt.*

Qui vero plura de membrana celluloſa legere cupit, videre poterit in Illuſtriſſimi Domini de Swieten comm. Tom. I. §. 382. Item in Magnifici Archiatri de Haen tractatu de febrib. exanthem.

Sed redeamus ad noſtrum caſum: Hic moleſtus, atque ab omni periculo non immunis, ſtatus perdurabat uſque ad vigeſimam quintam circiter morbi diem; quo tempore non tantum febris, & tumor minuebantur, ac tandem diſſipabatur; ſed & libertas motus prædictis partibus conciliabatur; ſicque ægrotus, quamvis ſat ægre lenteque priſtinæ ſanitati reſtituebatur.

re-

Remedia vero, quibus tam primis quam ſequentibus morbi diebus, dum febris augebatur, utebatur æger, erant illa ipſa diluentia, antiphlogiſtica ſuperius §. XLIX. expoſita.

Ad tumores glandularum colli, parotidumque diſcutiendos applicabantur ſecundo cum effectu ab expertiſſimo Domino Reter, Chirurgiæ Doctore ſacculi ſicci, quibus ſpecies carminativæ in pulverem redactæ incluſæ erant.

Phlebotomia autem, quamvis cum fundamento non tantum in principio morbi, ſed etiam tardius, nimirum die 16. aut 17. dum febris fere inflammatoria urgebat, celebrari potuiſſet, nihilominus tamen omiſſa erat; quia timendum fuit, ne adſtantes, & obſtantes ſiniſtrum morbi eventum, quem metuebamus, huic unice, ut in ſimilibus caſibus fieri ſolet, adſcriberent

Verum hic annotare debeo, quod, dum æger reſipiſcere videbatur, urinæ craſſæ cum copioſo ſedimento feceſſerint, quod ſignum erat materiam peccantem hac via evacuari.

CIII.

ANNOTATIONES ad Ægrotum XV.

Non tantum præſens, ſed etiam plures alii ſimiles, quos habui caſus, docuerunt, quod, quo plura, & frequentiora cutem occupent exanthemata, & quo plus partes affectæ ad attactum urunt, eo major & notabilior fiat decorticatio. In quo caſu diverſa malæ notæ conſectaria metuenda reſtant; vel enim tumores & indurationes diverſas corporis glandulas, vel tumor leucophlegmaticus totum corpus occupat, & pertinaciſſime vexat.

Qua-

Quapropter omni possibili cautela opus est; ut nimirum æger in debita transpiratione ad quartam usque hebdomadam detineatur; quo tempore, si nihil prædictorum accesserit, sperandum est, fore, ut sine periculo liberam in posterum capere possit auram; quod forsan aliquibus, in hoc morbo minus expertis, aut certis præjudiciis captis, paradoxum videbitur. Ast hæc, quæ scribo practicos, minus alios attingant, velim.

Præterea prædicta mala consectaria ultronee præcaventur, si alvus quotidie respondeat; quodsi non fiat, ut plerumque contingere consuevit, debet, aut appropriato enemate, aut superius §. XLIX. recensitis remediis sollicitari suique officii admoneri. Sic enim efficimus, ut humores serosi, lymphaticique, qui in membrana cellulosa, viscera abdominis perreptante, facile restagnare possent, tum

libere circulent, cum etiam per urinas, aliasque vias libere evacuentur.

Qua ratione non tantum prædictos glandularum, sed totius etiam corporis tumores præcavemus.

Præterea ex his, similibusque observationibus constat, quod depositio materiæ peccantis quandoque ad internas, quandoque ad externas, & aliquando ad utrasque partes simul fiat; unde dein longe majus periculum, majorque in curatione labor.

CIV.

Ægrotus XVI.

Anno 1759. ego cum Magnifico, & Expertissimo Domino de Humelauer advocatus fui ad filiam Perill. Domini de Krausan in Academia Sabaudica vice Directoris. Hæc tumebat toto corpore, difficulterque, & frequenter respirabat febricitabat, alvus silebat, & urina supprimebatur.

primebatur. Dum in cauſam hujus funeſti tumoris leucophlegmatici indagaremus, Parentes ægrotæ nunciabant, narrabantque ante quatuor circiter hebdomadas in ægra obſervatas fuiſſe quasdam maculas rubras, totum corpus occupantes; quæ cum tridui tantum perſiſterent, & ſine notabili moleſtia decurrerent, flocci factas fuiſſe. Sicque in ſex rerum non naturalium regimine vix aliquam curam, aut cautelam adhibitam fuiſſe.

In tali extremo rerum ſtatu, quamvis repetita enemata, aperitiva, diuretica, frictiones, aliaque ſimilia, in uſum vocata fuiſſent, nihil tamen, quod ſpem noſtram erigeret, effici poterat. Unde evenit, quod prædixeramus, ut paucis poſt diebus vitam cum morte commutaret ægra.

CV.

ANNOTATIONES ad Ægrotum XVI.

Ex hac hiſtoria diſcimus, quod ſcarlatina etiam benigna tam quoad diætam, quam quoad tranſpirationem certis cautelis rite obſervandis, opus habeat; ſecus enim metuendum eſt, ne ſubſequens affectus plus negotii, quam primarius faceſſat; ſicque error poſterior fiat pejor priore.

Pariter exinde patet, quod, ſi in ſimili tumore leucophlegmatico jam febricula adſit, vix quidquam boni ſperandum reſtet; quia ſignum eſt humores reſtagnantes jam putreſcere, corpusque in corruptionem & gangrænam tendere.

Hoc ipſum in hydrope, aſcite dicto, ego ſumma cum admiratione ſæpe contem-

templatus sum, dum vidi serum in abdomine ad plures mensuras collectum, non tantum per multas hebdomadas, sed per multos etiam menses sine putredine hærere posse. Quamprimum vero putrescere incipit, tunc æger magis sitit, febricitat, ac tandem brevi emoritur.

Ex hoc ipso fundamento sæpius admirabar, quosdam humores restagnantes, aut etiam extravasatos cito & facile; alios vero lente, aut nunquam corrumpi, putrescere.

Sic enim videmus, quod humores, qui in inflammationibus, in febribus continuis, ardentibus, malignis restagnant citissime in corruptionem vergant. Alii vero, qui v. g. in sugillationibus oculorum, aliarumque partium subsistunt, non tam facile in putredinem tendant.

Idem dicendum est de sero hydropicorum, de humore, quem embranæm

membranæ amnios, & chorion in gravidis continent; qui non tam facile putrescunt.

Unde patet, quod quamprimum humores nostri corporis putrescere incipiunt, exinde oriatur major febris, majusque periculum.

CVI.

Ægrotus XVII.

Puer octennalis laborabat scarlatina, ad malignam potius quam ad benignam revocanda.

Huic sub initium quartæ ab ortu scarlatinæ hebdomadæ supervenit tumor leucophlegmaticus; in quo scrotum, ut mihi dein relatum fuit, monstrose tumebat.

Huic ægro medebatur chirurgus, qui ægri parentibus erat familiaris. Sed præ aliis hic notari meretur methodus, qua tumorem scroti tractabat; applicabat enim dies noctesque fomenta calida sicca ex cineribus lignorum. Item sæpe inun-

ge-

gebat ſcrotum cum ſpiritu vini camphorato, & cum alio liquore ut mihi videbatur, cum aqua calcis, mixto.

Quæ vero interne adhibita fuerint remedia reſcire non poteram. Interim ex his effectum fuit, ut tumor ille hydropicus diſſiparetur; quin imo tumor ipſe ſcroti magnam partem evaneſceret; verum durities quædam ad tactum indolens in ſcroto permanebat, quæ partim mole, partim pondere ægroto incommoda erat. Interim tamen æger quoad alias omnes functiones bene valebat.

Hæc ego dein, cum ad ægroti parentes ægrotantes advocatus eram audivi & vidi.

Quapropter juſſi, ſpecies carminativas cum cereviſia in formam cataplaſmatis redactas, & coctas ſcroto apponi, ſæpius renovari, diutiusque continuari.

Item ordinavi purgans ex rheo, & diagridio ſulphurato cum uno alterove

grano mercurii dulcis bis qualibet hebdomada exhibendum. Verum tamen, quia dein parentes cum ægro ſedem, & domicilium mutarunt, ulteriorem hujus morbi decurſum ignoro.

CVII.

ANNOTATIONES
ad Ægrotum XV.

Superius §. LXIV. jam oſtendi, quod tumor ſcroti hydropicus non tantum tunicas teſticulos ambientes, verum etiam membranam muſculoſam dartos dictam occupet, ſeque intra ejus duplicaturam inſinuando, eandem diſtendat.

Quare, ſi in ſimili caſu talia applicentur, ut in noſtro caſu prædicta calida & ſicca fomenta, tunc ſubtiliſſima diſcutiuntur, craſſiora vero minimis vaſculis impacta hærent. Si vero a ſpiritu vini cam-

camphorato prædicta vasa adhuc magis constringuntur, debent eadem adhuc magis ibidem incarcerari. Ex quo dein fit, ut in nostro casu contigit, ut humores una cum vasis in unum corpus scirrhosum quasi concrescant.

In simili casu, postquam hoc tempore per diversa capta experimenta jam constat, cicutam tam interne quam externe adhibitam, esse specificum ad tumores remedium, sane hoc omnibus aliis hucusque inventis remediis anteferendum esse judico, non neglectis tamen superius recensitis & ordinatis purgantibus mercurialibus; quia experientia nos docet, quod nihil magis minima vasa pervadere, & pervia reddere possit, quam mercurius. Plura de usu cicutæ legi possunt in tractatu de variolis §. CCCXI.

CVIII.

Huic similem fere errorem vidi ab alio chyrurgo committi in tumore scroti

post

post scarlatinam superveniente. Cum enim æger in simili casu de potiore incommodo ex tumore scroti conqueretur, judicabat chirurgus, quod possit sacrificatione non tantum prædictum incommodum, sed etiam tumorem ipsum funditus amovere. Quapropter sacrificationem instituit, unde evacuabatur quidem multum seri, & scroti tumor imminui, minime vero penitus dissipari videbatur; item membrana dartos, quæ prius tensa & pellucida erat, corrugabatur; verum tamen aliquot diebus vix elapsis iterato distendebatur, pristinumque scroti tumorem referebat; atque eadem ut prius incommoda, & discrimina minabatur.

Qua ex ratione necessarium fuit, remediis tam internis aperitivis, diureticis, & per epicrasim evacuantibus; quam externis carminativis, & discutientibus superius §. LXV. jam descriptis affectum hunc leucophlegmaticum oppugnare.

Ex

Ex quibus tandem quamvis ſat lente effectum fuit, ut patiens priſtinæ, & perfectæ reſtitueretur ſanitati.

Unde iterato conſtat, quod in tumore leucophlegmatico omnia particularia medentium molimina fruſtranea ſint; niſi radicaliter affectus hicce tractetur; & abigatur per remedia ſuperius deſcripta.

Iſti, quos obſervavi, & adduxi, ſunt ſingulares, & ſelecti de ſcarlatina caſus, plures ſimiles, ſi actum agere videri cuperem, afferre poſſem: ideoque quia talium, aut per decurſum hujus operis ſuperius jam meminerim; aut quia ſimiles ad ſupradictos caſus revocari poſſint, tacitus præterire conſtitui.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0225
DFG

ERRATA NOTABILIORA

IN

TRACTATU DE SCARLATINA.

Pagina	121.	Linea ultima	lege aâ 9r. β.
	148.	5.	lege deponendam pro deponendum.
	154.	1.	præditis pro prædictis
	156.	14.	efflorescentiæ pro observantiæ.
	184.	ib.	phlogistica pro phlogitica.
	195.	14.	prolabebatur pro prolabatur.
	205.	1.	findebatur pro finebatur.
	208.	18.	dissipabantur pro dissipabatur.
	215.	ultima	dele embranæm.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0226
DFG

Beddei diss. med. de Verme Tænia dict.
8. maj. Vien. 2 gg.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn823221741/phys_0227
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823221741/phys_0230
DFG

deoque omnia, quæ cavi-
erincumbunt, concutit &
facit. Dum vero parietes
pariter ſunt ſepta cavita-
s ab invicem ſeparantia,
tunc tota actio & vis de-
dirigitur ad lineam magis
in quo caſu terra una
uprapoſitis pariter horizon-
ſi undularet, movetur,
ris plures & repetitas alli-
ſſiones & refractiones ſub-
e terræmotus, cujus ge-
ſe ille 1755. poteſt ſe ad
iam extendere, eo, quod,
rehemens, plures tales &
terraneas cavitates perfrin-
ere poſſit.

ſt contingere, ut prædicta
um horizontaliter & ad la-
n perpendiculariter ad ſu-
m extendat, in quo caſu

mo-